

P R A E F A T I O.

Hermotimum sive de philosophorum sectis dialogum unum e praestantissimis Luciani libellorum esse omnes in graecis litteris versati consentiunt. Si enim sermonis puritatem, perspicuitatem, urbanitatem spectas, nusquam Lucianum castiori, dilucidiori, elegantiori dicendi genere usum reperies; sive compositionis artem in dialogo effingendo et ad praestitutum finem perducendo respicis, disputationem tanta subtilitate et dexteritate quo ab initio directa erat ductam admirabere, ut non Platonis Aristophanisque aemulum, sed aequalem potius et parem artificem credas. Ac per totum hoc felicissimi ingenii monumentum praeter summam simplicitatem animique tranquillitatem Socraticam quandam ironiam atque sal Atticum large sparsum senties, non illud quidem acerbum, quo in posterioribus dialogis satiricis mores et studia tam singulorum virorum, quam genera hominum defricuit, sed lene quoddam et humanitate et sincero veritatis studio temperatum. Si vero ad res quae pertractantur animum advertimus, etiamsi meliora edocti in earum summa non acquiescamus, tamen Lycinum, i. e. graeca forma indutum Lucianum, falsas quascunque et vanas veri inquirendi vias monstrantem eo maiore studio sequemur, quo minus vel nostra aetate de hac gravissima quaestione inter viros quam maxime doctos convenire videmus. His aliisque huius scripti virtutibus, quibus quemque satis eruditum allici et detineri necesse est, accedit aliud idque gravius momentum, quo ad Hermotimum trahitur, quicunque auctoris ipsius, quem Lucianum esse nemo unquam dubitavit, ingenium, mores vitaque rationes exploraturus in illo recti iudicii uberiorem materiam purioremque fontem quam in ullo alio Luciani scripto inveniet. Etenim quum ex hoc dialogo non solum, quo anno aetatis ab auctore scriptus sit, evidentissime eluceat (Vid. Herm. 13., cf. 2, 24.) id quod de nullo Luciani libello aequa certo statui potest, sed etiam eodem anno quadragesimo cognoscamus auctorem suam vivendi et scribendi rationem ita mutasse, ut nihil in vita ei acciderit gravius (Vid. bis accus. 32. Pisc. 25, 29.) ; Hermotimus ab omni parte examinatus principium et fundamentum esse potest, quo certa disquisitio tam de ordine temporis, quo singuli libelli sese exceperint, quam de origine eorum, qui incerta fide traduntur, firmiter nitatur. Nisi enim plures etiam disputationes

eiusmodi, qualem Ferd. Rankius de rhetorum praeceptore a. 1841 edidit, de multis aliis et rebus et personis a Luciano tractatis ante instituantur, sperare non licet, fore ut aliquando de ordinandis et diiudicandis singulis scriptis critici consentiant; quorum iudicia quot in rebus etiam nunc in diversa abeant, si comparaveris, quae nuper deinceps viri doctissimi, Schlosserus in libro, cui titulus est: Universalhistorische Uebersicht III, 2. p. 221 sqq., Prellerus in encyclop. real. Stuttg. IV, 1168 sqq. et Planckius in progr. Urac. a. 1850 statuerunt, facile cognosces. Qua in re quanti momenti foret, si praeceteris in Hermotimo perquirendo et explicando virorum doctorum cura versaretur, iam pridem monuit vir clarissimus idemque in Luciano egregie versatus, C. Fr. Hermannus (Cf. Diar. Schol. a. 1832 II. p. 526 sq.; p. 806 sqq.). Sed hunc laborem qui suscepit, adhuc novi neminem. Nam Geistius vir cl., qui decem Luciani libellorum in usum scholarum delectui etiam Hermotimum inseruit, quum hoc singulare consilium secutus sit, ut interrogare quam suo nomine explicare discipulis utilius duceret; nonnulla quidem praesertim ad Luciani loquendi usum pertinentia enucleavit, sed plurima eaque difficiliora ut a suo instituto aliena aliis reliquit. Quodsi praeter paucas notas variorum, inter quos vel Hemscherhusius desideratur, in Lehmanni editione collectas nihil usquam auxili offertur, ubi difficultates cuiusque generis vel peritiiores lectores morantur, quis est, cui cognita Hermotimi virtute et gravitate non sit optabile, ut quod Fritzschius, C. Fr. Hermannus, Iacobus, Schoenius, Iacobitzius alii omiserunt, tandem ita tractandum suscipiatur, ut tam hic dialogus quam Lucianus in universum rectius intelligatur et aequius existimetur. Cuius operis suscipiendi consilium ut ego caperem, hac praecipue caussa sum permotus. Ex quo enim mihi persuaseram, Lucianum principibus illis Herodoto, Thucydide, Platone, Xenophonte nec ad orationis puritatem elegantiamque inferiorem et ad rerum iuvenili aetati convenientium modicisque finibus circumscriptrarum varietatem iucunditatemque forsitan esse superiorem, ad hunc scriptorem ita delatus sum, ut quidquid a scholastici muneris negotiis vacaret temporis, in illo magis magisque cognoscendo collocandum putarem. Cuius studii primo tantum in meos ipsius et discipulorum usus instituti quum etiam fructum aliquem cum aliis communicare cuperem, primum monente Hermanno ab Hermotimo exorsus Luciani vitam et ingenium ita explorare cooperam, ut, si quid possem, ad stabiliendum de Luciano eiusque scriptis iudicium conferrem. Atque familiaritate quadam cum scriptore ingenii maxime versatilis contracta cognoscebam, non minus laudatores eius, qui illum semper veritatis vindicem, antiquae integritatis commendatorem, sapientiae doctorem se praestitisse praedicant, a vero aberrasse, quam inique facere eos, qui ex nostris moribus et doctrinis iudicantes illum omnium rerum divinarum et humanaarum derisorem et contemptorem aut certe hominem inconstantissimum et vitiis sui

seculi inquinatissimum singunt. Neque Lucianum ante recte iudicatum iri intellexi, quam abiectis cuiusque generis praeiudiciis quid ipse quoque libello voluerit, quidque temporis illius hominumque conditio postularit, exploratum habeamus. Sed quum viderem, quot Luciani scripta praeter Hermotimum adhuc ab interpretibus neglecta iacerent et quidem ea, quae ad sententias graviora et ad orationis formam perfectiora cum maiore emolumento quam plura alia in scholis lectitata adolescentium manibus tradi possent; consilium meum ita mutavi, ut ab accurata interpretatione singulorum libellorum incipere consultius ducerem. Sic enim fore sperabam, ut et recti iudicii certius fundamentum ponetur et postea, si vires et tempus sufficerent, liber inde evaderet tam dissentibus quam docentibus fructuosus, praesertim si prolegomenis et annotationibus latine scriptis iisque discipulorum tam publico quam privato usui accommodatis instrueretur. Atque primum ad Hermotimum accessi, quem novi delectus praecipuum decus fore cognoveram. In quo commentando occupatum et iam satis longe progressum me ordo vocabat annalibus Gymnasii disputatione aliqua praefandi. Cui opportunitati vel potius necessitati me satisfactum duxi, si observationes quasdam in Hermotimum ex adversariis meis depromtas virorum intelligentium iudicio subiicerem. Quod tamen quum plura, quae ad historiam antiquitatesque et ad verborum significationes constructionumque rationes pertinent, elaborata haberem, critico specimine auspicari malui, minus idoneo forsitan praecursore, ex quo suscepti a me operis omen capere liceat, hoc praecipue eo consilio me fecisse fateor, ut sicubi falso me coniecssisse convincar, viri ingeniosiores ad feliciores conjecturas excitentur, quibus satis multis opus esse constat, ut emendatissimae Iacobitzii et Dindorfii editiones emendatores fiant. Quoniam autem non minus codicum auxilio, quam explorata uniuscuiusque loquendi consuetudine antiqui scriptores emendari solent, quidquid conieci ut hoc altero fundamento niteretur, etiam atque etiam operam dedi. Sed quum singula suis quaeque argumentis firmare studerem, factum est, ut saepenumero ultra Hermotimum evagatus quaestiones potius quam observationes in medium protulerim. Cuius rei veniam ab aequis existimatoribus me facile impetraturum spero, dummodo ad Luciani dicendi genus illustrandum vel tantillum me contulisse iudicarint.

Scribebam Bonnae Cal. Aug. 1851.

H. L. Remaely.

OBSERVATIONES IN HERMOTIMUM.

C A P U T I.

In ipso dialogi, de quo quaerimus, limine uno adhuc offendimur scopulo, cuius tollendi primum periculum facturus locum, qualem Jacobitzii editio maior exhibet, apponam. Ibi cap. 4. Lycinus, quem poenitebat, Hermotimum iam sexagenarium eliam tunc philosophorum scholas frequentantem incerta spe teneri, fore ut aliquando duce magistro optatum philosophiae fastigium ascendat, acrius urget interrogando:

Πλὴν ἄλλὰ τίνα σοι ἐλπίδα ὑποφαίνει (sc. ὁ διδάσκαλος) ὡς δὴ πότε ἀναβησομένῳ; ἐξ τέσσαρας ἐπὶ τὸ ἄκρον ἔσεσθαι σε, οἷον μετὰ τὰ μυστήγια τὰ ἄλλα ἡ Παναθήναια; EPM. Οἰλύγον φῆς, ὡς Λυκῖνε. ΛΥΚ. Άλλ' ἐξ τὴν ἐξῆς Ολυμπιάδα; EPM. Καὶ τοῦτο ὀλίγον ὡς πρὸς ἀρετῆς ἀσκησιν καὶ εὐδαιμονίας πτῆσιν.

Quod hic locus ab alio vitio in codicum varia scriptura iam indicato, quo ante Lehmanni editionem laborabat, nunc liberatus est, hoc Seageri sagacitati debetur, qui (cf. classic. Iourn. fasc. XIII. p. 71.) pro vulgata lectione *δῆποτε* coniecerat *δὴ πότε*, quam conjecturam a Struvio in lectt. Lucian. (Cf. Misc. crit. Friedem. et Seebod. II. p. 237.) commendatam et uno Herm. 27. loco firmatam optimo iure a Lehmanno et omnibus deinceps editoribus receptam esse loci ipsius ratio accuratius perpensa evincit. Non enim illud nunc Lycinus quaerit, quam spem magister ostendat, ut aliquando, quod esset *δῆποτε* sive *δὴ πότε*, enitatur, sed scire vult, quo tempore hoc futurum sit; quare opus erat particula interrogativa *πότε*, quam insertam esse enuntiato interrogativo, ita ut duplex interrogatio exsistat, hodie nemo est qui miretur, cuiusque loquendi usus simillima exempla suppeditant Matth. gram. gr. p. 615. et 1242 sqq.; Rost. gr. §. 123, 6, 10, C. Bernhard. Synt. gr. p. 144.; Krueg. gram. gr. §. 51, 17. A. 5. Eosdem vero grammaticos aliosque si consulis de rariori usu participii futuri cum particula *ὡς*, ubi infinitivum frequentiorem post substantivum *ἐλπίς* vel verbum *ἐλπίζειν* exspectas, frustra perquam simile exemplum quaeris, quamvis participiorum loco infinitivorum usum post Matthiaeum (§. 569. 5 et 6.) in primis Bernh. I. l. p. 475 sqq. et Krueg. Gr. §. 56, 6, A. 4—13 et rationibus et exemplis dilucide explanarint. Quare his quaedam exempla, quae mihi inventire obtigit, nunc addere liceat. Nostro loco simillimum habes Thuc. I, 84, 4: *καὶ οἵτις ἐξείρων ὡς ἀμαρτησομένων ἔχειν δεῖ τὰς ἐλπίδας, ἀλλ' ὡς ἡμῶν αὐτῶν ἀσφαλῶς προνοούμενων*, ubi in altero membro structura variatur. cf. Krueg. ad h. l. Neque multum

discrepat locus Dion. Hal. A. R. II. 15: πολλὴν ἐλπίδα παρασχόντος ὡς ἀποθησομένων (Cf. Steph. thesaur. ed. Paris. s. v. ἐλπίς.). Lucianus ipse in Zeuxin c. 8. dixit: πονηρὰς εἰχε τὰ ἐλπίδας ὡς ἀμάχων ὄντων ἔκεινων αὐτῷ, hoc quidem discrimine, quod participio praesentis loco futuri usus est, quod eadem ratione nititur, qua infinitivus praesentis loco futuri post verba sperandi et similia, quamquam non obsto, quominus quis genitivum hoc loco etiam absolute accipiat. Ob sensum cognatum huc pertinent exempla participiorum futuri cum part. ὡς post verbum ἀπειλεῖν apud Lucianum Iup. conf. 4 et Aelianum Nat. animal. III, 13. Vid. Iacobitz. ad Catapl. ed. min. p. 65, qui alia similia exempla participiorum usus post vv. λέγεται, λόγον διαδιδόνται et δηλοῦνt attulit, quibus adde Herm. 60, ubi v. οἵτοθαι participium futuri cum part. ὡς sequitur.

Iam vero si a generaliori Lycini interrogatione, quae et a critica et a grammatica ratione nunc optime habet, ad alteram enuntiati partem, qua certi temporis definitio ab Hermotimo expostulatur, procedimus; omnes codices et editiones praeter novissimam Parisinam in eadem scriptura conspirare videmus, quam, si sensum idoneum et linguae legibus congruentem ex ea elicere nemini adhuc contigisse demonstravero, inveterata labi affectam esse pro certo habendum erit. Qui primus sententiam suam de verbis μετὰ τὰ μυστήρια τὰ ἄλλα aperuit I. M. Gesnerus in Luciani versione latina interpretatus est: *post mysteria altera*, quo Wielandio dux et auctor fuisse putandus est, ut is verteret: Bis zu den nächsten Mysterien oder Panathenäen; quod quem alteri interpreti Germanico, Paulio, non satisfecisse videatur, nihil verba curans, quae fortasse pro glossemate habuit, ita reddidit: Etwa übers Jahr, nach den Panathenäen oder nach den Eleusinien? Cautius circa hanc rem versatus est Geistius, qui primum in annotationibus, postquam duplia quotannis celebrata fuisse mysteria τὰ μεγάλα καὶ τὰ μικρά statuit, verba τὰ ἄλλα idem loco valere putavit, quod τὰ ἔτερα „die zweite Feier der Mysterien“ incertum relinquens, utrum magna an parva mysteria cogitanda sint. In præfatione autem p. XVI. idem vir doctus hanc suam explicationem ut parum probabilem ipse retractans ad Struvii conjecturam configuit, quam tamen nec suam facere nec refellere ausus est. Struvius enim in quaest. Luc. p. 238 sq. locum, quem primus corruptum esse declaravit, legendo τὰ μεγάλα sanare voluerat. Et habet quidem haec conjectura, quo obiter intuenti se commendet; neque enim admodum recedit a codicu scriptura et attributum præbet, quod mysteriis hic cogitandis apprime conveniret, nisi Panathenaea mox sequerentur. Sed haec sequuntur neque tamen hoc per loci conditionem licere mox videbimus. Quare profecto dolendum est, Dindorium Struvii commentum in editionem Parisinam iam recepisse, quam commemorasse Iacobitzius satis habuerat. Atque primum Gesneri eiusque pedisequorum interpretationi refragatur significatio et usus verbi ἄλλος. Neque enim verba τὰ ἄλλα tam nude posita τὰ ἔτερα vel, quod revera volunt, qui ἔτερα substituunt, τὰ δεύτερα significare possunt, neque si possint, sententiae notionem huic loco aptam addant. Negandum quidem non est, interdum apud optimos scriptores, ubi vocem ἄλλος exspectes, v. ἔτερος usurpatam inveniri, cuius rei satis magnam exemplorum copiam exhibent Steph. thes. s. vv. ἄλλος et ἔτερος et Lob. ad Phryn.

p. 437 sq. Sed in plerisque ibi allatis exemplis ἄλλος et ἔτερος promiscue sibi opponuntur et ipsa oppositionis vi utriusque pronominis propria natura cognoscitur. Cf. Hom. Il. 9, 313, 472 sq. Od. 7, 124. Soph. Electr. v. 729; Platt. leg. II. p. 915, D, VIII, p. 849, E; de rep. IV, p. 439, B, Alcib. I. p. 116, D; Luc. D. D. 20, 7; Tim. 5. Atque ea est verbi ἔτερος natura, ut in enumerandis partibus etiam vicem verbi δέυτερος sustinere queat, ita tamen, ut plerumque alterum quod opponitur cum altero quod ante nominatum est, totum quoddam ex duabus partibus constans efficiat, aut efficere posse cogitare licet. Cf. Xen. Cyr. II, 3, 22, ubi ἔτερος adhibitum videtur, ne bis in eodem enuntiatio voce δέυτερος opus esset. Liberiorem versi usum ostendunt loci Homerici Il. 12, 93; 16, 179, quibus, etsi totum in plures quam duas partes divisum est, secunda tamen pars verbo ἔτερος denotatur. Quare iure scholia ἔτερος pro δέυτερος positum dicunt. Sed alia ratio est locorum, ubi de dierum insequentium ordine ita sermo est, ut v. τῇ ἔτερᾳ is dies significetur, qui alterum i. e. ante dictum sequitur, quocum totum bipartitum constituit. Sic. Xen. Cyr. 4, 6, 10 τῇ ἔτερᾳ est perendie et Plat. Crit. c. 2. init. (p. 44, A.) simili modo verba τῇς ἔτερας opposita sunt verbis τῆς ἐπιστήσης ἡμέρας. Nec valde mirabere, Xenophontem Cyr. 2, 3, 24 vel τῇ ἄλλῃ eodem sensu dixisse, si modo teneas, hanc rariorem verbi significationem non inesse in ipso verbo, nisi adiuvante vi oppositionis. Siquis autem ex his aliisque exemplis effici posse putet, ut μνωτήρια τὰ ἄλλα sint mysteria vel proxima i. e. proximo anno celebranda, vel adeo alterutra sive magna sive parva, is metuo ne res perquam dissimiles coniunxerit, nisi forte ad ἔτερον πόδα, ἔτερον ὀρθαλμόν, ἔτερον χεῖρα provocaturus est, in quibus tamen locutionibus, etiam ubi nihil oppositum est, semper id, quo totum vel par quoddam efficitur, animo observatur. Maiora vero et minora mysteria quantum absit ut totum quoddam ut pedum, oculorum, manuum paria constituant, ita explicare instituam, ut simul quam parum nostro loco accommodata Struvii coniectura sit appareat. Quod ut assequar, necesse est altius repetere et de mysteriis Panathenaeisque quae hoc pertinent in medium proferre.

Omissis quae nostra aetate Lobeckius in Aglaophamo, C. O. Muellerus in encycl. Hallensi, Prellerus et Krausius in encycl. Stuttg. et C. Fr. Hermannus in libro: Gottesdienstliche Alterthuemer, de mysteriis et Panathenaeis docte et ingeniose disseruerunt, id unum nunc agimus, ut his ducibus exploremus, quo tempore mysteria et Panathenaea Athenis celebrari solita sint, quove maiora et minora discernantur. Ac primum quidem monendum est, mysteria, quae alia aliis in urbibus fuisse constat, hoc loco nulla alia esse posse quam Eleusinia, quae quum Eleusine simul et Athenis celebrarentur, non minus Atheniensium quam Eleusiniorum festum solemne fuerunt. Cuius rei testes afferre opus non est, quum satis notum sit, ubi apud Lucianum aliasque scriptores μνωτήρια ut festum Atheniense nominantur, ita Ἐλευσίνια, sicut ad Ἐλευσίνια verbum μνωτήρια supplendum esse, excepto Demonactis loco c. 11, ubi ad vv. ταῖς Ἐλευσινίαις cum Fischer ad Well. III, 1, p. 263 et Schoenio τελέταις et non cum Stephano in thes. et Schaefero ad Lamb. Bos. p. 464 θεαῖς suppilar debet. Quin usus loquendi ita compendarius factus est, ut saepius simul et μνωτήρια et Ἐλευσίνια intelligenda sint ad verba de

his sacris solemnia ut μνεῖσθαι et τελεῖσθαι. Cf. Aristoph. Plut. 846. ubi est ἐμνήθης τὰ μεγάλα. Luc. Navig. 11, Alex. 38, Scyth. 8, Demon. 34, Catapl. 22 (ed. Iacobitz.)*).

Haec igitur mysteria Eleusinia iam antiquioribus temporibus quotannis mense Boëdromione i. e. exeunte Septembri per duodecim dies cum summo apparatu, cum ludis spectaculisque et pompa solemni, quae in via sacra ab Athenis Eleusina ducebatur, acta fuisse cum multa alia veterum testimonia comprobant, tum insignis est locus Herod. VIII, 65, ex quo praecipue annua huius festi vicissitudo elucet: τὴν δὲ ὁρτὴν ταύτην ἄγονατ Ἀθηναῖοι ἀνὰ πάντα ἔτεα τῇ Μητρὶ καὶ τῇ Κονόῃ. Neque vero posteriore aetate huic festo suus honor et decus imminutum aut detractum est, immo Hadriano et Antoninis imperatoribus novum quandam splendorem accessisse inprimis ex Aristidis rhetoris orationibus comperimus. Vid. Arist. Eleus. p. 415, 420 sq. Cf. Preller. encycl. Stuttg. III, p. 93 sq. Haec quae dixi de mysteriis in universum valent; quum vero passim apud cuiusque generis scriptores et in inscriptionibus (Cf. Boeckhii corp. inscript. Vol. I. p. 564, n. 71, n. 1068), magnorum et parvorum mysteriorum mentionem factam invenimus, non possumus non querere, quo quaeque referenda sint, quove distinguantur. Omnium locorum, ex quibus de hac differentia coniecturam facere possumus, nullus accurasier extat, quam Scholion ad Aristoph. Plut. v. 846: μυστήρια δύο τελεῖται τοῦ ἐνιαυτοῦ Ἀγ-μητροὶ καὶ Κόρη, τὰ μικρὰ καὶ μεγάλα· καὶ ἔστι τὰ μικρὰ ὥσπερ προκάθιστις καὶ προ-ἀγγευσίς τῶν μεγάλων· ἄλλως· μεγάλα καὶ μικρὰ μυστήρια ἐτελοῦντο ἐν Ἐλευσίνῃ τῆς Ἀττικῆς, cui accedit Scholion ad v. 1014: Άι γὰρ τῶν Ἀθηναίων γυναικες ἐπὶ ἀμαξῶν ὁχούμεναι εἰς τὰ μεγάλα Ἐλευσίνια ἀπήρχοντο· ὡς ἐπὶ ἀμαξῶν οὖν ὁχονμένων αὐτῶν, ἐπάν εἰς Ἐλευσίνα (ita legendum cum Hemsterhusio pro Ἐλευσίνια) βαδίζωσιν εἰς τὰ μεγάλα μυστήρια καὶ λοιδορούσσων ἀλλήλοις ἐν τῇ ὁδῷ τοῦτο εἶπεν· ἔθος γὰρ ἦν αὐτοῖς τοῦτο. Ex his aliisque locis ut Plut. Demetr. 26, de exil. p. 604, D; Diod. 20, 110 ibique Wessel; (cf. Boeckh ad Pind. Olymp. IX, v. 102—106) hoc colligere licet, quotannis mense Anthisterione ineunte vere Proserpinae, Cereris filiae, sacra quaedam, quae minora mysteria dicebantur, fuisse celebrata, quibus ii, qui initiandi erant, ad maiora mysteria præpararentur. De horum autem mysteriorum solemnitatibus nihil usquam memoratur, quo festum illud magnum et notabile fuisse credamus. Quare non mirum, ubivis fere, si mysteria ut dies festi memorantur, abesse adiectivum μεγάλα. Aristophanes vero addito v. μεγάλα l. l. v. 846 et v. 1014 magis pompea solemnis magnitudinem et dierum

*^o) Quominus Catapl. 22 certo hoc revocari possit, obstat dissensus recentissimorum editorum, nam Iacobitzius quum in minore editione vv. ἐτελεῖσθαι γὰρ, ὡς Κύνισκε, τὰ Ἐλευσίνια δηλονότι so- lum verbum δηλονότι eiecisset verbis τὰ Ἐλευσίνια unciis inclusis, postea in maiore editione etiam τὰ Ἐλευσίνια proscrispsit, quamvis electa et uncinata verba quatuor optimorum codicum fide firmata sint. Utrumque revocavit Dindorfius. Neque immerito. Quamquam enim additum glossatorum vocabulum δη- λονότι interpretamentum redolere videtur, et ne verbis τὰ Ἐλευσίνια quidem opus erat, tamen et ipse Lucianus frequenter usus est illa formula (cf. Hermot. 27; pro merc. cond. 19 al.), neque magis otiosa sunt hoc loco vv. τὰ Ἐλευσίνια quam ll. Demon. 11 ταῖς Ἐλευσίναις. Atque ipsa graeci scholiastae interpretatio horum verborum scripturae antiquitatem confirmat.

festorum magnificentiam augere voluisse quam de minoribus mysteriis cogitasse putandum est. Quae quum ita sint, quis veri simile esse credit, Lucianum, qui h. l. mysteriis non utitur, nisi ut celebre quoddam festum nominet, more et ipsi et aliis scriptoribus insolito epitheton addidisse sive ἄλλα significatione v. δεύτερα accipienda, sive μεγάλα ex Struvii coniectura obtrudendum? At nec quidquam addidit, neque hoc Struvianum addere potuit, siquidem Panathenaea simpliciter adiunxit, quibus epitheton μικρά addi multo potius necesse futurum fuisse nunc demonstrare aggredior.

Panathenaea enim, peculiare illud Atheniensium festum solemne, simili modo atque mysteria Eleusinia et maiora et minora fuisse cum aliunde ut Isocrat. p. 236, 6; argum. orat. Demosth. in Midiam p. 510, tum ex Harpocrationis loco constat, ubi p. 228 dicit: διττά Παναθηναῖα ἡγετο Ἀθήνησι, τὰ μὲν καθ' ἔκαστον ἐνιαυτόν, τὰ δὲ διὰ πεντετηρίδος, ἀπερ καὶ μεγάλα ἐκαλοῦν. Cf. Hermanni Gottesdienstl. Alterth. §. 54, not. 11. Neque minus certum est, quod etiam ex allato loco consequitur, maiora quinquennalia fuisse, quae quinto quoque anno et quidem tertio Olympiadum redibant et per quatuor dies anno Hecatombaeonis, i. e. mensis Iulii media aestate tanta certaminum et spectaculorum copia tantoque hominum concursu celebrabantur, ut ad laudem Olympiorum accederent. Vid. Luc. Anach. c. 9. cf. Krause encycl. Stuttg. V, p. 1110. Minora vero Panathenaea etsi minus celebria illis maioribus nec ipsa suis solemnitatibus, ludis pompisque destituta singulis annis per tres dies eiusdem mensis quo maiora ab Atheniensibus festorum avidissimis agebantur, neque est quod dubitemus, hunc morem usque ad seriora tempora romanorum imperatorum obtinuisse, quum vel ipsi Romani Romae quotannis duplex Minervae festum instituissent. Cf. Forcell. lexic. s. v. quinquatus. Iam usum scriptorum graecorum in commemorandis Panathenaeis quod attinet, quum exceptis nonnullis locis ut Thuc. V, 47; VI, 56, Xen. Symp. I, 2. Demosth. p. cor. p. 265 extr.; Lysiae. p. 161, 37; 162, 3 nihil addi soleat, plerumque magna Panathenaea cogitanda sunt, ut Thuc. 1, 20 ubi quae ibi memoratur πομπὴ Παναθηναιῶν ad magna Panathenaea referendam esse evidentissime ex lib. VI, 56 eluet. Cf. Themist. III, p. 50 ed. Dind. Nec minore iure eodem trahere mihi videor Luc. Anach. 9. Atque etiam Nigrin. 14, ubi δ ἀγὼν τῶν Παναθηναιῶν describitur, de maioribus Panathenaeis cogitare malim, quod idem quin fecerit scholiastes ad Luc. DD. 20, 16, nullus dubito. Quodsi non solum ceterorum scriptorum, sed ipsius Luciani usus etiam hoc nostro loco ad maiora Panathenaea nos ducere videtur, tamen loci ipsius natura cogimur, ut annua Panathenaea i. e. minora cogitemus. Nam quod praecessit, ἐς νέωτα quum significet, *in annum venturum s. anno insequenti* *); intra unius anni orbem inclusi tenemur, in quo festo quinquennali ut Panathenaeis maioribus locus non datur. Atque ipsa similium festorum consociatio suadet, ut non longe diversa eorum tempora cogitemus, id quod etiam iis quae sequuntur

* Cf. Xen. Cyr. 7, 2, 13 et Theophr. hist. pl. 7, 12, ubi ἀντοτέρες oppositum est; Luc. Tim. 52; bis accus. 4 et Bacch. 7, ubi πέρυσι opponitur; Scholion ad Icaromen. 33, quo ἐς νέωτα explicatur εἰς τὸ ἔξῆς, ἦτο τὸ ἐπέρχομενον ἔτος, de forma verbi cf. Buttm. Gram. ampl. I, p. 224.

confirmatur. Nam tum demum Olympiadem proponit Lycinus, postquam Hermotimus mysteriorum vel Panathenaeorum celebrationem anno praeterito reddituram sibi sufficere negavit. Quamquam ne quid reliquise videar, fortasse aliquis magna Panathenaea huic loco ita vindicare poterit, ut hoc colloquium eo tempore habitum ponat, ut intra anni spatium magna Panathenaea denuo celebranda exspectarentur. Quod qui serio affirmat, ei non habeo quod opponam, nisi hanc sententiam acutiorem videri, quam ut veri similis haberri possit. Quare si epitheton Lucianus addere voluisset, *μιχρά* potius Panathenaeis quam *μεγάλα* mysteriis addere debuit.

Excussis igitur et explosis aliorum explicationibus conjecturisque nunc quid ipse medelae huic loco allaturus sim, aperiam. Quae ut per se lenissima est, quum nulli verbo vim faciat, ita paucissimis verbis cuivis probata foret, nisi usus quidam reconditor verbi *ἄλλος*, qui saepius interpretes et editores fugit et lusit, pluribus explicare non alienum putarem. Traiecta enim unica vocula *ἢ* et ante *τὰ* *ἄλλα* posita nihil difficultatis aut incommodi relinquitur et sensum huic loco aptissimum nanciscimur huncce: proximone anno coniiciebat in arcem te venturum, verbi caussa post mysteria vel praeter alia s. cetera post Panathenaea? Neque opus est, certam singulis neutris communem notionem supplere, quam qui desiderat, cogitatione addat: festa, solemnia, s. sacra, ut Graecorum animis notionem *παντέλεια* s. *ἐορταί* obversatam fuisse scimus. cf. C. Fr. Herm. I. I. §. 46, not. 11. De re vid. Luc. Nigr. 27, ubi *ἐορταί* et *πανηγύρεις* memorantur, a quibus aliquis auspicatur non mentiri et recte agere. Quodsi interpretationem verborum *τὰ* *ἄλλα* *Παναθήναια* a me propositam auctoritatibus defendere vellem, auctore gravissimo uterer viro summo God. Hermanno, qui et in censura Elmsleii Medeae ad v. 291 (opusc. III, 184.) et ad Soph. Philoct. v. 38. iisdem fere verbis ad explicandam vocem *ἄλλος* usus viam munivit permultos graecorum scriptorum locos ab aliis perperam intellectos aut corruptos recte explicandi et denuo corrigendi. Qua via si omnes editores et interpretes processissent, iam non de abundantia quadam vel elegantia loquerentur, aut negligenter restituere vocem saepissime a librariis obliterratam, etiamsi singuli tantum boni codices illam servarint, quum multo verisimilius sit, antiquiores librarios quippe usum verbi ignorantes omisisse illam, quam ultro scriptoribus obtrusisse. Eorum autem, qui Hermanni vestigia secuti sunt, permultos locos et correxerunt et recte explicarunt in primis Fritzschius et Kruegerus, quorum alter in quaestt. Luc. p. 52—57 Luciani editoribus et interpretibus ad hanc rem illustrandam facem praetulit, alter et in adnotationibus ad Dionysium, Xenophontem, Thucydidem et in grammatica graeca §. 50, 4 A. 11. rariorem de quo quaerimus usum paucissimis ut assolet verbis explanavit. In horum triumvirum auctoritate fidenter acquiescerem, nisi exemplorum diversa genera nondum satis disposita viderem, simulque ad Luciani usum aliquid opellae meae conferre in animo haberem.

Longe plurima quidem exempla, quae optimi quique auctores inde ab Homero praebent, usu quem vocant epexegetico recte ita explicantur, ut notio, quae sequitur vocem *ἄλλος*, appositio quaedam vel explicatio verbi *ἄλλος* habeatur, quae quum ipsa

efficiat id quod voce $\ddot{\alpha}\lambda\lambda\sigma$ opponitur tertiae vel praegressae vel, quod rarius fit, sequenti notioni, idem valet ac si quis dicat: alii vel ceteri, qui sunt id quod sequitur. Neque tamen notio, quam epexegeticam nominare liceat, ita tertiae illi opponitur, ut hae eidem generi subiificantur, quae opinio omnium fere caussa perversarum explicationum est, sed tantum notio, quam tertiam modo diximus et pronomen $\ddot{\alpha}\lambda\lambda\sigma$ sibi opponuntur et totum quoddam constituant, quod quum non exstat nisi in cogitatione et ad tempus, quo illa coniuncta cogitantur, res diversissimas immo contrarias complecti potest. Cf. Buttm. Plat. diall. in indice s. v. $\ddot{\alpha}\lambda\lambda\sigma$; Pape in lexic. s. v. $\ddot{\alpha}\lambda\lambda\sigma$. Sed haec explicatio etsi ad plurimos, tamen non ad eos quadrat locos, quibus notio, quae sequitur vocem $\ddot{\alpha}\lambda\lambda\sigma$, non ipsa totum illud, quod opponitur, efficit, sed partem eius vel exemplum potius denotat eorum, quae opposita sunt notioni tertiae. Atque huiusmodi locis optime convenit Hermanni interpretatio: cetera, nominatim, cuius loco Kruegero placuit germanica interpretatio: Ausserdem, sensu non multum discrepante, quamquam huic classi exempla ab Hermanno explicata Eurip. Med. v. 291 et Soph. Phil. v. 38 (quem locum Ellendtius in lexic. Sophocl. I, p. 86. ex breviloquentia cuiusdam attractionis explicat dicens: non sunt alii panni, sed praeter alia etiam panni) anumerare malim, quam quae Kruegerus uno excepto in Gram. I. I. attulit. Praeter nostrum locum hoc revocari mihi posse videntur Luc. de consc. hist. 24; Xen. Anab. I, 5, 5; Xen. Cyrop. III, 2, 18; VI, 3, 11; VII, 3, 7, quibus locis Bornemannus, etsi hunc usum bene perspectum habet, inter utramque explicationem fluctuat, quod idem in permultis aliis Xenophontis locis accidisse Sturzio in lexic. Xenoph. p. 138 sqq. non est quod miremur. Etenim ante nostram aetatem vel doctissimi et de nostris litteris meritissimi viri ita hunc loquendi usum ignorarunt, ut illud verbum vel libris munitissimum nunc radicitus extirparent, nunc conjecturis tentarent atque corrumperent. Quas labes quamvis permultas nostri temporis editores iam sustulerint, tamen satis multi loci adhuc restitutores suos exspectant. Atque ne in Luciano quidem, quem Fritschii sagacitate et Iacobitzii sollertia aliis scriptoribus ab hac parte emendatiorem habemus, omnia nunc ita sana sunt, ut nihil reliqui fecerint. Sic, ut a luculento exemplo ordiar, Charon. 1. contra omnium codicum auctoritatem loco $\ddot{\alpha}\lambda\lambda\sigma$ ex conjectura Brodae a duumviris illis Solano et Hemsterhusio Luciani peritissimis comprobata vocem $\lambda\acute{a}\lambda\sigma$ omnes recentiores editores receperunt, quod profecto non fecissent, si perspecta pronominis $\ddot{\alpha}\lambda\lambda\sigma$ natura cogitassent, quam multo aptius Charon Mercurio exprobret, quod si alium quem, scilicet mortuum, inveniat ($\epsilon\acute{e}i\acute{t}i\acute{a}\ \ddot{\alpha}\lambda\lambda\sigma$ $\tau\acute{e}k\varphi\acute{o}\nu\ \epsilon\acute{e}i\acute{d}o\iota\acute{s}$) cum eo confabuletur, quam si dixisset: si garrulam aliquam umbram inveniat. Garrulitatis enim notione, quae raro abest a verbo $\lambda\acute{a}\lambda\sigma$ (cf. Steph. Thes.), hoc loco saltem minus opus est, quam Necyom. 18. Quod si reputaverit Iacobitzius, alias religiosissimus codicum cultor, minime dubito, quin hoc loco, qui etiam Fritschium fugerat, genuinam scripturam Luciano sit restituturus, quod cum multis aliis locis tum de merc. cond. 23; bis accus. 2; de salt. 9; pisc. 14. iam fecit. Conjecturam vero, qua idem vir de Luciano meritissimus Iup. trag. 29 et in minore et in maiore editione pro $\ddot{\alpha}\lambda\lambda\sigma$ legendum censuerat $\lambda\acute{a}\lambda\sigma$, et propter codicum repugnantiam et propter sensus im-

portunitatem eodem modo retractabit, quo Kruegerus in altera editione Anabaseos 5, 4, 25. a coniectura Schaeferi pro ἄλλα δόγατα legentis ἄλλοι antea commendata abstinuit. Alio loco etsi aliae tamen non infirmiores rationes suadent, ut pronomen ἄλλος a Iacobitzio repulsum rursus recipiatur. Nam Phal. II, 8. non quidem codices sed editiones veteres omnes exhibent παρὰ τοῖς ἄλλοις omisso verbo Ἐλλησιν, quod tamen quum Solano necessarium videretur, Reitzius et Schmiederus simul cum v. ἄλλοις receperant, Lehmannus contra ut a codicum fide non satis firmatum aspernatus erat. Iacobitzius vero e tribus codicibus dedit Ἐλλησιν neglecto verbo ἄλλοις, quod a nemine adhuc impugnatum et editionum antiquissimarum auctoritate firmatum simul cum verbo Ἐλλησιν recipiendum erat. Nam haec verba coniuncta optimum habent explicatum et Luciano omnium venerum optimae graecitatis sectatori praecipue convenient. De simili variatione codicum in vocibus ἄλλος et Ἐλληνες, quam Schaeferus ad L. Bos. p. 578. confusionem appellat, vid. Schaeff. ad Demosth. p. 123, 16. Duobus aliis locis, Dial. mort. 14, 3 et Gall. 21, licet unus tantum alterve codex vocem ἄλλος praebeat, pro ea, quam supra notavimus, librariorum vel negligentia vel inscritia veri simillimum habendum est, paucos illos libros auctoris scripturam servasse, atque utroque loco pronomen ἄλλος restituendum videtur. Quod idem fieri oportere arbitror Herm. 32, ubi ut loco πολλοῖς cum Vorstio et Gesnero legatur ἄλλοις, sententiarum ratio flagitat.

Sed ut iam eo unde deflexi revertar, nostro loco postquam optime consultum iri demonstravi, si τὰ ἄλλα cum verbo Παναθήναια coniungatur, nunc paucis de traiectione vocis η̄ mihi dicendum erit. Licet enim transpositio verborum praesertim proxime coniectorum facillima medela habeatur, tamen parum probabilitatis habet, nisi etiam tutissima est. Quam ut tuear, argumentum et ab ipsa voce transponenda et a similibus traiectionibus ita petam, ut simul quodam modo elucescat, quo casu vel errore verborum ordo turbatus fuerit. Quantum in describenda voce η̄ librarii peccarint omittendo, interpolando, confundendo, mutando, satis constat et exempla cuiusque generis sunt ubivis obvia. Cf. Schaeff. melet. p. 11, 45, 107; ad Dionys. 207, 320; appar. ad Demosth. I, 302; III, 339, IV. 139, V, 5; Fritzsch. quaestt. Luc. p. 89 sqq.; Poppo ad Thuc. I, 33; Kuehner. ad Xen. Mem. IV, 7, 7; Iacobitz ad Catapl. p. 166; Iacobitz Luc. ed. mai. ad Herm. 30, 85; de luct. 13; Tox. 2, 23, 35; Imagg. 20; Rhet. praec. 20. Hanc igitur voculam, quae tot iniuriis obnoxia fuit, etiam loco suo interdum motam esse, vel per se credibile est, etiamsi exempla traiectionis non extant. Aliorum scriptorum exempla praebet Herm. ad Elmsl. Eur. Med. ad v. 820, p. 223; ex Luciano autem quum transpositae vocis η̄ exemplum nunc non habeam, simillima cognati verbi traiectione uti licet. Prom. I, 6. ante Lehmannum vitiose legebatur: εἰγε δὲ μὲν οἴκοι καὶ καθ' ἑαυτὸν νὴ Δία ἐν τοῖς περιπάτοις μετ' ὀδηγῶν τὰς διατριβὰς ἐποιεῖτο. Transposita particula καὶ post καθ' ἑαυτὸν Lehmannus gravi vitio hunc locum liberavit et iure Iacobitzius felicem hanc coniecturam in textum recepit. Quo exemplo, cui Herm. 17. accedit, nam ibi καὶ ante τῶν κρειττόνων transponendum est, utcunque mederi illi desperato loco voles, eo magis tutari traiectionem vocis η̄ licebit, quoniam particulas καὶ et η̄ cum alibi

tum apud Lucianum a librariis saepe permutas esse constat. Cf. Luc. Tox. 2, ubi loco vulgatae lectionis η ex Jacobsii conjectura nunc tribus codicibus confirmata Iacobus et Jacobitzius particulam $\tau\alpha i$ excudi iusserunt. Iam si quis ex me quaerat, qui factum putem, ut perversus nostri loci verborum ordo omnes codices pervaserit, ei respondere in promptu est, unum alterumve librarium, quem omnes deinceps secuti sunt, non tam oscitantia et negligentia quam errore et ignoratione reconditionis illius pronominis $\alpha\lambda\lambda\circ\varsigma$ usus adductum esse, ut sedem verbi η paullum mutaret et loco sibi forsitan aptiori posneret. Sed utut factum est, vitium adest et cum facili tum efficaci eius tollendi remedio me usum esse confido. Si autem aliquis me audacior $\tau\alpha \alpha\lambda\lambda\alpha$ post *Πανάθηναια* transponere et particulam η ex conjectura addere malit, ut hic ordo exsistat: *οἶον μετὰ τὰ μυστήρια* η *Παναθηναῖα* η $\tau\alpha \alpha\lambda\lambda\alpha$, vulgariori quidem structura procedentem orationem habebit, sed ut taceam, insolentiorem illam Luciano dignorem mihi videri, medicina quae adhibetur quum vehementior sit minus probabilis habenda est. Audacissimus vero foret, qui $\tau\alpha \alpha\lambda\lambda\alpha$ aut $\tau\alpha \alpha\lambda\lambda\alpha$ η *Παναθηναῖα* glossema haberet et ut pannum assutum resecare vellet. Quam audaciam si aliter defendere non possit, nisi ut salvo sensu hac verba abesse posse dicat, profecto nullum cautum et considerantem virum in partem suam trahet. Sed ut meam a vi remotissimam conjecturam ab omni parte muniam, una adhuc dubitatio a me eximenda est, si quis ne trajectione quidem a me proposita opus esse credit, quum optimos scriptores pronomini $\alpha\lambda\lambda\circ\varsigma$ saepe sedem a nostro sensu abhorrentem dedisse constet. Vid. Bornem. ad Xen. Cyr. VI, 2, 12; Bernh. Synt. p. 459 sqq. et quos ibi laudat; Krueg. Gram. §. 51, 10 A. 10. At longe dispar ratio est nostri loci et exemplorum ibi allatorum. Ubiunque enim $\alpha\lambda\lambda\circ\varsigma$ traiectum invenimus, sequitur relativum sive nomen sive adverbium, cuius flexibilis natura cum alias attractiones aut potius assimilationes quas vocant admittat, tum hoc patitur, ut notio ei consociata anteponatur, quo eius vis augeatur aut saltem magis in aures et oculos incurrat. Neque alia causa est, cur pronomen $\alpha\lambda\lambda\circ\varsigma$, ubi cum coniunctione $\epsilon\iota$ et pronomine indefinito sive $\tau\iota\varsigma$ sive alio adverbio coniunctum est, priore loco ponatur, nam etiam particulam $\epsilon\iota$ vim relativam habere neque multum differre $\epsilon\iota$ $\tau\iota\varsigma$ et $\delta\sigma\tau\iota\varsigma$ constat. Cf. Schaeff. ad Demosth. Lept. p. 487, 23. Quodsi his finibus usus traiciendi pronominis $\alpha\lambda\lambda\circ\varsigma$ continetur, in hoc verbo trajectonis caussam quaerendam non esse manifestum est; quam quominus repetas ex particula η , etiam magis obstat diversa ratio locorum, quibus hanc vocem trajectam esse interpres observarunt. Trajectio enim in eiusmodi locis aut ex oratione commotiori et figurata, aut ex constructionis anacoluthia quadam orta est (Cf. Plat. apol. p. 28, E, Thuc. 6, 18, 1; 6, 24, 1; 8, 39, 2; 8, 46, 1; Xen. Cyr. 1, 6, 22; 8, 5, 25; Demosth. de Rhod. lib. p. 179, 18.); quod utrumque cum a nostro loco alienissimum sit, nihil reliquum est, nisi ut η sede sua ante $\tau\alpha \alpha\lambda\lambda\alpha$ reponatur, ex qua librariorum culpa illud exturbatum esse si non certum, at veri simillimum habendum est. Sed antequam finem faciam huic fortasse copiosiori disputationi, hoc unum addere licet, neglectam repetitionem praepositionis $\mu\epsilon\tau\alpha$ post coniunctionem disiunctivam η tam raram quidem nonnullis visam esse, ut hic illic praepositionem supplendam adeo in tex-

tam recipere voluerint, sed satis multis et idoneis exemplis confirmari et illustrari. Exempla non repetitae praepositionis post disiunctivam η̄ habes Thuc. 5, 111, 3; 7, 47, 3; Demosth. Phil. III, p. 127, 8; Plut. Sulla c. 12, ex Isocrate aliud suppeditat. Krueg. Gram. §. 68, 9. Qui alia exempla praepositionum defectus post coniunctiones adversativas et coniunctivas videre cupit, adeat Kruegerum I. l. et Schaeff. appar. Dem. I, 597 et V, 569.

C A P U T II.

Lycinus initio c. 7 ex Hermotimo quaerit: *Tà δὲ δὴ ἄκρω ὅτι εὐδαιμονα καὶ τοιαῦτα, ὡς πάντα χρῆν ἵπομεναι δι' αὐτά, πόθεν ἔχεις εἰδένεαι;* quorum sensum Gesnerus expressit: *Supera autem illa beata esse ac talia, propter quae sustinere omnia consultum sit, unde potes scire?* Atque omnia hic plana esse quis non credat? Attamen mihi primum attente hunc locum legenti suspicio corruptelae suborta est, quam accurasier perquisitio et de formis verbi χρῆναι et de Luciani aliorumque scriptorum usu coniunctionis consecutivae ὡς ita auxit, ut Lucianum hoc loco non χρῆν, sed χρῆναι scripsisse mihi certum sit. Nimurum forma χρῆν nihil aliud esse potest quam imperfectum; atqui imperfectum ab hoc loco, qui infinitivum postulat, alienum est; ergo loco χρῆν restituenda est attica infinitivi forma χρῆναι, quae qua ratione corrupta sit, cum ex similibus corruptelis, tum ex hoc ipso loco colligi potest. Utrum χρῆν proprio substantivum fuerit, quod ut Goettlinius ad Theos. p. 218 docuit (cf. Matth. Gram. I, p. 497) naturam imperfecti acceperit, an forma infinitivi, quae postea pro imperfecto usurpari coepit sit, quod placuit Buttmanno (Gram. ampl. I, p. 257 sqq.) nunc mitto querere; qualis eius usus fuerit, nostra refert. Atque primum hoc constat testimonii Eustath. ad Od. 10. p. 1647, 36, et ad Il. 9, p. 731, 54 et Thomae mag. p. 920, quibus adde schol. Eur. Hec. v. 528 ed. Herm., χρῆν antiquitus a poetis pro infinitivo fuisse adhibitum, cuius usus duo certa exempla apud Euripidem exstant Hec. 258 et Herc. fur. 828; nec minus iisdem testibus certum est, apud prosarios scriptores usitatam infinitivi formam χρῆναι fuisse, quum χρῆν pro imperfecto unice usurparetur, cui postea altera apud Atticos rarer forma ἐχρῆν accessit. Cf. Elmsl. Eur. Heracl. 640; Kuehner ad Xen. Mem. I, 2, 17. Neque vero hoc praeceptum veterum grammaticorum et Atticistarum ad infinitivum verbi compositi ἀπόχρην pertinet, in cuius infinitivi forma usus contrarius evaluit, quum etsi refragantibus singulis codicibus ubivis auctoritate optimorum et plurimorum codicum forma infinitivi ἀπόχρην firmata et iam restituta aut adhuc restituenda sit. Vid. Luc. pro merc. cond. 5, ubi Aldina II. habet ἀπόχρηναι, sed Herm. 24 recte legitur ἀπόχρην sine variatione. Cf. Schaeff. ad Dionys. p. 284 et appar. ad Demosth. I, 346, 371; Ellendt ad Arr. II, p. 39 sq., qui hoc nostro loco χρῆν pro χρῆναι positum credit. Quodsi nemini credibile erit, Lucianum, qui Herm. 25 multisque aliis locis genuina forma χρῆναι usus est, hoc loco orationem

suam vere Atticam verbo poetico et obsoleto contaminasse, nunc mihi demonstrandum est, imperfectum $\chi\varrho\bar{\eta}\nu$ aliis ex caussis ab hoc loco abhorrere, neque tamen propterea, quod tempus praesens ex nostro sensu et usu loquendi huic loco convenientior videtur. Notum est enim, Graecos non solum imperfectis $\chi\varrho\bar{\eta}\nu$ sive $\acute{\epsilon}\chi\varrho\bar{\eta}\nu$, $\acute{\epsilon}\delta\bar{\epsilon}\iota$, $\pi\varrho\sigma\zeta\bar{\eta}\kappa\epsilon$ aliis, sed et $\bar{\eta}\nu \acute{\alpha}\varrho\alpha$, $\acute{\epsilon}\mu\acute{\epsilon}\ell\lambda\bar{\nu}\acute{\alpha}\varrho\alpha$ et similibus usos esse, ubi nos praesenti uti solemus. Cf. Fischer ad Plat. apol. I, Zeune ad Vig. p. 214; Matth. p. 958; Bernh. Synt. p. 373 sq., Krueg. Gram. §. 53, 2, A 7.

Sed ut locum, de quo quaerimus, omnino infinitivum flagitare probem, non aequa facilis opera est. Nam neque Luciani neque aliorum scriptorum usus in construendis enuntiatis consecutivis ita exploratus est, ut satis sit ad unum alterumque lexicographum, grammaticum aut interpretem provocare. Investigatis igitur et examinatis Luciani et multorum aliorum scriptorum exemplis, quotquot reperiendi mihi copia fuit, hoc mihi persuasi, usum temporis finiti cum particula $\omega\varsigma$, ubi pro $\omega\varsigma\tau\epsilon$ praegresso demonstrativo positum habendum est, nullo exemplo Luciani nec perquam simili cuiusquam prosarii scriptoris defendi posse. Exempla quod attinet, primum tenendum est, hoc revocari non posse ea, quibus $\omega\varsigma$ vel infinitivo vel tempore finito sequente eodem iure particula finalis quam consecutiva aut utrumque haberri potest. Cf. Iacobitz Char. 9 ed. min.; Krueg. Xen. Anab. 4, 3, 29 ed. altera. Neque magis nos attinent ea, in quibus $\omega\varsigma\tau\epsilon$ vel $\omega\varsigma$, etiamsi praecesserit $\omega\bar{\nu}\tau\omega\varsigma$ aut simile quid, tam libera structura sequente verbo finito cum antecedenti enuntiato coniunctum potius quam constructum est, ut ad anacoluthiam accedit. Cf. Herm. ad Vig. p. 852, 900. E re nostra non sunt exempla, nisi in quibus enuntiatum suspensum cum particula $\omega\varsigma\tau\epsilon$ sive $\omega\varsigma$ cum praegresso pronomine demonstrativo tam arcte et necessario cohaeret, ut salvo sensu abesse nequeat. Iam primum quod poetas et quidem tragicos attinet, quos prae ceteris scriptoribus lexicographi et grammatici $\omega\varsigma$ pro $\omega\varsigma\tau\epsilon$ et quidem cum verbo finito usos dicitant, ex Aeschylo Wellauerus quindecim locos attulit, in quibus $\omega\varsigma$ cum infinitivo pro $\omega\varsigma\tau\epsilon$ habendum sit, quatuor autem locorum, quibus $\omega\varsigma$ pro $\omega\varsigma\tau\epsilon$ cum tempore finito positum putavit, vix duos huc traxerim, quum uno tantum Pers. v. 716 pronomen demonstrativum revera antecesarit, altero Pers. v. 711 liberiore structura $\omega\varsigma$ cum indicativo praesentis sequatur aliud enuntiatum consecutivum. Nec plura huius generis exempla suppeditat Sophocles, apud quem Ellendtius bis tantum $\omega\varsigma$ pro $\omega\varsigma\tau\epsilon$ dictum cum verbo finito se repperisse in lexic. Sophocl. testatur. Vid. Trach. 445, 587. In Aiace. v. 98 nunc Hermannus et Lobeckius ed. II. $\omega\varsigma\tau'$ pro $\omega\varsigma$ restituerunt. Usitatoris vero constructionis particulae $\omega\varsigma$ pro $\omega\varsigma\tau\epsilon$ cum infinitivo idem novem assert exempla. Euripidis nullum mihi exemplum innotuit, ubi $\omega\varsigma$ pro $\omega\varsigma\tau\epsilon$ cum tempore finito constructum sit. Verum $\omega\varsigma\tau\epsilon$ quatuor locis tam antecedente quam suppresso pronomine demonstrativo cum tempore finito loco infinitivi coniunctum occurrit. Vid. Phoen. 1629; Orest. 373 (cf. Lobeck ad Soph. Aiac. v. 98); Med. 365, 556 (cf. Schaefer ad Plut. vit. V, p. 248). Totidem fere exempla eius usus, quem quaerimus, apud unum Herodotum habes, in quibus etsi non ubique arctissimo vinculo coniuncta praegresso pronomine $\omega\bar{\nu}\tau\omega\varsigma$ sequitur particula $\omega\varsigma$ cum indicativo. Vid. I,

163; II, 135; VI, 83. Cf. Schweighaeus. *lexic.* Herod. s. v. *ως*. Thucydides contra non solum ab usu particulae *ως* pro *ωςτε* cum tempore finito abstinuit, sed vix unus alterve locus reperitur, ubi praegresso demonstrativo *ωςτε* sequatur cum verbo finito. Vid. Thuc. 5, 14, 3 ibique Kruegerum, quem fugit alter locus 3, 104, 2. Atque Platonis unus tantum reliquus est locus Phaedr. p. 257, E, ubi *ωςτε* praegresso demonstrativo *οὗτος* indicativum secum habet; nam qui loci antea ab Heindorfio aliisque afferebantur, nunc rectius explicati huc non pertinent. Cf. Ast. *lexic.* Plat., Stallb. ad Crit. p. 45, D et Phaed. p. 84, E. Omnium vero aureae aetatis scriptorum frequentissimus est Xenophontis in nostra re usus, isque proxime ad Luciani consuetudinem accedit. Iam primum quod usum particulae *ως* pro *ωςτε* praegresso vel etsi non praegresso supplendo tamen pronomine demonstrativo sequente infinitivo attinet, iis locis exclusis quibus *ως* cum infinitivo vel finalis est, vel pro *ὅτι* accipi potest, ex Auabasi haec exempla reliqua sunt: II, 3, 10; III, 5, 7; V, 6, 12, e Cyropaedia huc pertinent II, 1, 23; VIII, 7, 27; VIII, 4, 35; VIII, 5, 1; VIII, 8, 11. Neque multo minor est numerus locorum, quibus *ωςτε* vel praegresso vel supplendo pronomine demonstrativo cum tempore finito, tam indicativo quam optativo coniunctum reperitur. Vid. Anab. III, 4, 47; V, 6, 20; V, 9, 31; quo loco vulgata habet *ως*. Memor. II, 2, 3. Cyrop. I, 1, 4; I, 4, 15; II, 2, 10 qui locus eo insignis, quod in duorum parium membrorum priore *ωςτε* cum infinitivo, in altero cum indicativo praesentis coniunctum est. Cf. Anab. II, 3, 17. Denique exempla, in quibus *ως* pro *ωςτε* cum tempore finito iunctum est, etsi non multa sunt, docent tamen Xenophontem longius processisse quam quemquam scriptorem prosarium. Sic Symp. 9, 3 post *τοιούτοις* sequitur *ως πᾶς ἀν-έγρα*, quum idem scriptor Anab. V, 9, 31 praegresso *οὗτος* dixerit *ωςτε* (vulgata habet *ως*) *καὶ ιδίωτην ἀν γνῶναι*. Alterum exemplum est Anab. VII, 6, 23, ubi *ως* cum imperfecto et *ἀν* legitur; utrum tamen *ως* finale an consecutivum sit, dignosci nequit. His accedunt tres loci a Kruegero Gram. §. 65, 4 A. 4. fonte non indicato ex Xenophonte allati, quibus praegresso demonstrativo *οὗτος* particula *ως* cum indicativo praesentis, cum imperfecto et *ἀν* et cum optativo et *ἀν* coniuncta est. Atque hic numerus augetur, si duo similia exempla addere licet, in quibus antecedente comparativo particulas *ἢ* *ως* loco usitatoris infinitivi, cui soli locum esse grammatici docent, tempus finitum sequitur. Vid. Cyr. VIII, 1, 1, ubi post comparativum sequitur *ἢ* *ως ἐχοῦν* *δηλῶσαι*, qui locus, nisi comparativus praecessisset, idoneus videri posset, quo noster locus firmaretur. Neque longe dispar est Anab. I, 5, 8, ubi comparativum sequitur *ἢ* *ως ἀν* *φέρο*. Iam si oratores graecos pervestigamus, ex Demosthene quatuor tantum certa exempla afferuntur, ubi praegresso demonstrativo sequitur *ωςτε* cum indicativo. Vid. Demosth. Ol. II, p. 25, 19; pro Cor. p. 236, 19 et p. 377, 11, quibus nunc restitutus accedit locus p. 376, 7. Cf. Schaeff. app. ad Demosth. II, p. 47, qui Demosth. p. 376, 7 pro vulgata *ωςτε* *βούλεται* ex codicibus dedit *ωςτε* *βούλεσθαι*. cf. appar. II, p. 531. Aeschini unum locum affert Schaeff. l. l. II, p. 47 ex oratione c Ctes. p. 610, 10, ubi demonstrativum sequitur *ωςτε ἀπόχρη*. Sex locos Isocratis et duos Lysiae praebet Winer. Gram. Novi test. §. 42, A. 1; atque idem grammaticus duos locos e sacris litteris at-

tulit, quibus ὡς praegresso demonstrativo cum indicativo coniunctum videmus. Vid. Ioan. 3, 16; Paul. ad Gal. 2, 13. Posteriorum vero scriptorum, quibus etiam Lucianus quamquam omnium Ἀττικώτατος adnumerandus est, Plutarchus et Arrianus ita iam ab interpretibus excussi sunt, ut qualis eorum in nostra re usus sit, cognitum habeamus. Atque Plutarchum octo locis particula ὡς pro ὥστε cum infinitivo usum esse confirmat Sintenis ad Plut. Them. p. 166 sq. citans Fab. Max. 17, Camill. 35, Caes. 5; Marcell. 13; Crass. 16, Alex. 2; Demetr. 32, Them. l. l. p. 489, quibus ut rarioris usus exempla, in quibus nec demonstrativum nec simile vocabulum praecesserit, addidit Pericl. 7, 26, Othon. 4; Camill. 23, quem locum idem vir doctus in editione maiori retractavit restituta particula ὥστε pro vulgata ὡς. Constructionis vero particulae ὥστε cum verbo finito, quam etsi Schaeferus ad Plut. vitt. tom. V, p. 248 tam frequentem habet, ut viros doctos ad eam offendisse miretur, tamen haec quatuor tantum affert exempla: Plut. vitt. p. 122, 14; 144, 3; 180, 3; 210, 14. Neque aliter se habet usus Arriani, apud quem Ellendtius ad Arr. exp. Alex. tom. II, p. 21 octo locos se invenisse testatur, ubi particula ὡς pro ὥστε cum infinitivo consequentiam significet; quae vero exempla attulit, quibus ὡς cum optativo coniunctum est, hoc revocari non possunt, quum in omnibus facile finalem particulam ὡς cognoscas. Itaque neque Arriani neque Plutarchi ullum adhuc habemus exemplum, quo confirmetur, quod vulgo dicunt, particulam ὡς apud posteriores saepissime pro ὥστε et quidem cum tempore finito coniunctum inveniri. Ceterorum vero posterioris aetatis scriptorum, ut Dionis Cassii, Diogenis Laertii, Diodori Siculi, vix singuli loci allati sunt, ubi ὡς pro ὥστε cum infinitivo aut ὥστε cum tempore finito coniunctum est, nullus autem locus adhuc innotuit, ubi particula ὡς cum tempore finito pro ὥστε sequitur praegressum demonstrativum.

Recensitis igitur ad constructionem enuntiatorum consecutivorum, quantum interpretum ope fieri potuit, ceteris scriptoribus nunc *Luciani* consuetudinem adhibendi et construendi particulas ὥστε et ὡς in enuntiatis consecutivis examinatus hoc primum pro certo affirmare possum, illum frequentius quam omnes alios, quos adhuc perlustravimus, scriptores particulum ὡς pro ὥστε cum infinitivo ad consequentiam significandam usurpare; cuius rei hoc indicio esse potest, quod unus Hermotimus tredecim exempla praebet. Vid. Hermot. 5, 17, 18, 27, 33 ubi est τοιαῦτα εἶναι, ὡς ἀνατρέπεθαι φαδίως, 38, 48 bis, 62, 64 bis, 67, 78; quibus si adduntur exempla ex Timone, 2, 3, 13, 20, 29; ex Anach. 17, 30, 33, 35; ex Demonakte 6, 10, 23; ex Charid. 9, 21, 23; ex Gallo 3, 6; ex Iove trag. 28; ex D. D. 16, 1; ex Apolog. 11; conjecturam facere licebit de aliis *Luciani* scriptis nondum hac de re excussis. Iam exempla si quaerimus, in quibus ὥστε cum tempore finito coniunctum est in arctissima enuntiatorum coniunctione, exclusis iis, quae alio quoque modo explicari possunt, totidem fere reliqua sunt, quot apud Xenophonem vidimus, ita comparata, ut in iis peculiarem et abhorrentem a communi usu constructionem agnoscere debeamus; cuius caussa nunc usus verbi auxiliaris, nunc interpositio plurium attributorum vel enuntiatorum suspensorum fuisse videtur. Vid. Dial. D. 2, 1; 15, 2; 16, 2; 22, 3. Gall. 3; 18. Piscat. 29. Tim. 26 qui locus etiam hoc notabilis est, quod indicativus aoristi cum ὥστε post demonstrativum οὗτος sequitur,

quum in antecedenti perquam simili enuntiato consecutivo infinitivus praecesserit. Circumspicientibus vero nobis exempla, in quibus particula ὡς cum tempore finito pro ὥστε posita est, magnopere cavendum est, ne varietate significationum vocis ὡς decepti locis hoc non pertinentibus aut parum congruentibus abutamur. Sic imprimis fallacem speciem enuntiatorum consecutivorum habent ea, in quibus ὡς cum tempore finito coniunctum significat *quemadmodum* et ita prope accedit ad naturam particularum causalium, ut verti possit: *nam*, germanice: wie denn, wie ja, quam significationem illustrarunt Herm. ad Soph. Aiac. v. 904; Krueg. gram. §. 65, 8, A. 1; Krueg. ad Xen. Anab. V, 8, 10 edit. II. Cf. Astii lexic. Plat. II, p. 585, ubi decem huius generis exempla Platonis citantur. Atque Lucianum etiam hac significatione frequentius quam alios scriptores particula ὡς usum esse, confirmant satis multi loci ex nonnullis scriptis depromti: Hermot. 39, 42, 69; Anach. 5, 36, 39; Apolog. 9, 30, 33; Nigrin. 8, 10; Gall. 31; Tim. 27. Fallunt praeterea multi loci, quibus particula ὡς cum optativo coniuncta tam finalis quam consecutiva aut utrumque haberi potest; cuius modi loci eo plures occurrunt, quum Lucianum singulari studio optativo in enuntiatis finalibus loco coniunctivi usum esse constet. Cf. Schoen. ad Luc. Anach. 2. Rost. Gram. §. 122, 9. A. 7. His igitur et similibus exemplis exclusis duos tantum locos aliquamdiu nostro ita similes esse putabam, ut alter alterum tutari posset; quorum unus est Hermot. 83, ubi ex adiectivo *ἰκανός* pendet enuntiatum cum optativo et particula ὡς coniunctum. Sed quamvis haec constructio rara sit, quum *ἴκανός* cum infinitivo vel additis vel omissis particulis ὥστε et ὡς coniungi soleat, tamen duo loci novi Testamenti Matth. 8, 8 et Luc. 7, 6, ubi post *ἴκανός* sequitur particula *ἴνα* et coniunctivus, argumento esse possunt, etiam hoc Hermotimi loco particulam ὡς finalem habendam esse. Alter locus Tim. 13 init. nostro ut ovum ovo similis videtur, quum enuntiatum suspensum incipiens a verbis ὡς χρῆν ita cum antecedente sententia cohaereat, ut particulam ὡς consecutivam esse facile adducaris ut credas, tamen recte intellectus non magis hoc pertinet quam Hermot. 30, ubi ὥστε οὐκ ἐχρῆν nihil aliud est, nisi *itaque non oportebat*. Pendent enim ibi (Tim. 13) verba ὡς χρῆν, id quod Menkius ad Tim. 13 recte vidit, ita ex praegresso verbo *πεπαιδάγωκεν*, ut ὡς pro ὅτι positum sit habendum. Quem usum etsi non habeo simile exemplum quo defendam, tamen non est dubium, quin *παιδαγωγεῖν*, cuius significatio apud posteriores ad v. διδάσκειν proxime accessit, (Vid. Herm. 82, Salt. 72, Pisc. 45) eodem modo, quo vv. διδάσκειν et *μαρθάνειν* tam cum infinitivo (Vid. Somn. 2, Herm. 16, Dial. Mort. 1, 2) quam cum tempore finito et particulis ὅτι sive ὡς coniuncta inveniuntur, construi potuerit. Ita Luciani nullus iam reliquus est locus, quo imperfectum χρῆν hoc nostro loco defendi possit. Sed ne aliorum quidem scriptorum ullum exemplum perquam simile huc revocari posse mihi videtur. Nullo enim locorum, quos supra congessi, tam arcto vinculo enuntiatum consecutivum cum antecedente pronomine coniunctum est, quam nostro, ubi ex eo ipso, quod sequitur, notio illa efficitur, quam pronomen demonstrat. Plerisque aliis pronomen demonstrativum, etsi sententia ex eo suspensa exspectatur, tamen uni alterive notioni ita adnexa est, ut etiam liberiori structurae cum tempore finito locus sit, quod interdum

addita particula $\omega\zeta\tau\epsilon$, rarissime autem particula $\omega\zeta$ eius vicem tenente a quibusdam scriptoribus factum supra vidimus. Quominus autem Xenophontis locis supra allatis, ubi post comparativum sequitur imperfectum cum particula $\omega\zeta$, ad nostrum locum firmandum utamur, prohibet comparativus, cuius natura illam laxiorem structuram passa videtur. Quae quum ita sint, Lucianum, si quid video, nostro loco imperfecto non usum esse, mihi certum est et erit, donec plures similes loci mihi opponantur. Quin adeo verbum finitum ab hoc nostro loco abhorrire arbitror, ut si quis, quae lenior medela videri possit, pro $\omega\zeta$ legere malit $\omega\zeta\tau\epsilon$, in eius partem non discedam, quum nullum nec Luciani nec Xenophontis exemplum, ubi $\omega\zeta\tau\epsilon$ cum tempore finito constructum est, ex omni parte nostro simile habendum sit. Sed ne multo violentior quidem mutatio vocis $\chi\omega\eta\nu$ in $\chi\omega\eta\nu\alpha\iota$ quam verbi $\omega\zeta$ in $\omega\zeta\tau\epsilon$ videri potest, quum credibile sit, librarium quandam similitudine sequentis verbi eiusdem terminationis, $\alpha\tau\alpha\mu\epsilon\iota\nu\alpha\iota$, quae multorum vitiorum caussa fuit, (Vid. Schaeff. Greg. Cor. p. 418.) deceptum esse, ut omilteret syllabam $\alpha\iota$ in verbo $\chi\omega\eta\nu\alpha\iota$, quae compendio scribi solita quoties neglecta aut commutata sit, Schaeferus l. I. p. 753 sqq. pluribus exemplis docuit. Huc accedit scripturae variatio in verbis $\chi\omega\eta\nu$, $\chi\omega\eta\nu\alpha\iota$, $\chi\omega\eta\nu\alpha\iota$ cum compositis, cuius exempla alia, quam quae supra attuli praebent Hemsterh. ad Aristoph. Plut. v. 607, 1195 et Schaeff. ad Greg. Cor. p. 58. Quodsi his exemplis nondum cuivis satisfactum sit, ex ipso Hermotimo duo similia adiungam, in quibus codices variant in describendis infinitivis. Vid. Hermot. 19, 28 ibique Iacobitz. ed. mai. Neque prorsus ab re alienum duco ad finem leviori argumento uti, quo meam corruptelae in verbo $\chi\omega\eta\nu$ latentis suspicionem nonnihil auctam esse fateor. In permultis enim Luciani scriptis, quae hoc consilio pervolvi, praeter nostrum et Timonis locum l. c. 13 ubivis sine ulla scripturae variatione legitur $\chi\omega\eta\nu$, quam formam quum quinque in ipso Hermotimo inveniamus, mirandum profecto foret, uno tantum loco, quem sanare studuimus, alteram imperfecti formam a librariis servatam esse, nisi $\chi\omega\eta\nu$ ex $\chi\omega\eta\nu\alpha\iota$ corruptum esse crederemus. Cf. Hermot. 12, 27, 30, 73 bis; Pseudol. 14; Gall. 18; bis accus. 21.

C A P U T III.

Neglecto Hermotimi capitum ordine nunc aggrediar locum cap. 73, ubi sicut modo infinitivo obliterato restituendo medelam afferre conatus cum, ita nunc infinitivum variis coniecturis sollicitatum et a nonnullis foras eiectum rectiore explicatione et inserta particula $\omega\zeta$ conservare et confirmare studebo.

Cap. 73 init. Lycinus ostensurus, Hermotimum philosophiae studiis summum bonum assequi cupientem nihil nisi somnia et fabulas sectari, a poetarum fragmentis ad mythographorum narrationes transit dicens:

Kai σὺ δὴ μυθοποιοῦ τινος ἀκούσας, ως ἔστι τις γυνὴ ὑπερφυῆς τὸ κάλλος, ὑπὲρ τὰς Χάριτας αὐτὰς ἡ τὴν Οὐρανίαν εἶναι, μὴ πρότερον ἐξετάσας εἰ ἀληθῆ λέγει καὶ εἰ

ἴστι πον τῆς γῆς ἡ ἀνθρωπος αὐτῇ, ἥρας εὐθύς, ὡςπερ φασὶ τὴν Μήδειαν ἐξ ὀνείρατος ἔρασθῆναι τοῦ Ιασονος.

Ita locum Iacobitzius ex codicibus optimis exhibuit et religiose servavit infinitivum *εἰναι*, quamvis ipse non minus quam ceteri editores et interpretes eo ita sit offensus, ut eum delendum censeret; quod consilium vellem ne Geistius statim secutus esset. Cautius ceteri editores etsi alii aliter explicantes et coniectantes scripturam omnibus fere codicibus traditam excepto Dindorfio, qui suam coniecturam in textum recepit, intactam reliquerunt. Verum loci sensum ut qui maxime expressit Gesnerus vertens: *Et tu sane cum ex fabulatore quodam audisses, mulierem esse, quae pulchritudine naturam supergressa, vel Gratias ipsas aut coelestem illam Venerem vincat, non explorato prius, utrum vera dicat, et sitne terrarum alicubi ista mulier, statim amare eam coepisti, ut Medeam aiunt ex insomnio amore Iasonis correptam.* Sed quo referatur infinitivus *εἰναι* quum illius non esset explicare, alii consulendi sunt. Et quidem praeter Lehmannum *εἰναι* ex v. *ἀκούσας* pendere posse putantem omnes ceteri aut *εἰναι* mutare aut exterminare voluerunt. Nam a codicibus nihil auxiliū petendum, siquidem lectio *οἶμαι*, quam Longolii excerpta praebeant, quum ab hoc loco alienissima sit, confirmat tantum, *εἰναι* vel simile quid ab oscitanti librario in *οἶμαι* esse mutatum. Coniectura vero Marcilii pro *εἰναι* legentis *ἔχετην* iam a Solano iure repudiata est; sed ne Solani quidem coniectura *καὶ* pro *εἰναι* coniectantis adhuc cuiusquam assensum tulit et quam parum huic loco conveniat, mox apparebit. Quod autem Dindorius coniecit et statim in textum recepit, pro *εἰναι* legens *εἰ καὶ* et participium *ἔξετασας* in indicativum *ἔξητασας* mutans, hoc vel propterea minus commendationis habet, quod ita enuntiatum concessivum oboritur, quod ut ex Graecorum loquendi usu cum praeterito *ἥρας* coniungi possit, valde metuo (Cf. Herm. ad Vig. p. 832; Krueg. Gram. §. 65, 5, A. 15). Magis arrideret, quod Lehmanno placuit pro *εἰναι* legenti *οὖσα*, quum ab una parte revera satisfaceret sententiae rationi, quae in altera appositione verbum sive nomen antecedenti *ὑπερφυής* respondens flagitat, sed ab altera parte desiderium particulae coniunctivae relinquit, quae nisi addatur, oratio Luciano digna haberi nequit. Indulsisse autem sibi Lucianum, ut v. *εἰναι* mutata subito structura ex v. *ἀκούσας* suspensum fecerit, quod eidem Lehmanno visum, nemini profecto, qui Lucianum norit, credibile erit. Extirpare vero v. *εἰναι* ut facillimum ita maxime dubium est. Quod qui suaserunt aut fecerunt, ante omnia quo casu aut errore v. *εἰναι* textui intrusum fuisse videretur, demonstrare debuerunt. Verum enim vero infinitivus tantum abest ut eiici debeat, ut si abesset, vel ipse vel simile quid, ex quo *ὑπὲρ τὰς Χάριτας κ. τ. λ.* penderet, requireretur. Etenim ut adiectivum *ὑπερφυής* hoc loco non praedicatum est, sed appositiu praedicti, quod est verbum *ἴστι*, sic verba *ὑπὲρ τὰς Χάριτας κ. τ. λ.*, si quidem alteram appositionem continent, neque ex verbo *ἴστι*, neque ex adiectivo *ὑπερφυής* pendere possunt. Itaque aut habeant oportet, unde pendeant, aut abesse debent. Cf. de merc. cond. 29, ubi simili modo dictum est: *ἢν - σὺ μὴ παντελῶς πόρρω Ἀφροδίτης καὶ Χαρίτων γέ*; cf. Plutarch. Arist. I, 65 ibique Wyttēn. Pendent autem ex infinitivo *εἰναι*, quo recte intellecto omnes dubitationes mihi tolli videntur.

Quam longe igitur absim ab opinione, infinitivum *εἰναι* otiose aut abundantanter possum esse, iam non opus est ut pluribus explicem et sufficiet remittere ad exempla a viris doctissimis congesta et illustrata, quae si cum hoc nostro loco comparaveris, ne unum quidem huic nostro admodum simile invenies. Cf. Herm. ad Vig. p. 744, 750 sqq., 888; Lob. ad Phryn. p. 273, 275; Matth. p. 1051; Bernh. Synt. p. 361; Krueg. §. 55, 1, A. 1. Neque vero infinitivus *εἰναι* potest esse ex genere eorum, qui nullo ipsi vinculo coniuncti enuntialis inseri solent tam addita quam omissa particula *ως*, quorumque sensum modo adverbio *quatenus*, modo coniunctione finali *ut* assequimur. Quod utrumque quum ab hoc nostro loco alienum sit, unde infinitivus pendeat, quaerendum erit. Quod si adiectivi *ὑπερφυής* eadem esset significatio atque eorum, quae infinitivus sequi potest, (Vid. Bernh. p. 262; Krueg. Gram. §. 55, 3, A. 3, 7) omnibus difficultatibus subito liberaremur. Sed quum adiectivum *ὑπερφυής* infinitivum ex se pendente prorsus respuat, nihil reliquum est, nisi ut ad laxiorem infinitivi consecutivi structuram confugiamus, qui si addita particula *ωςτε* indicatus esset, neminem profecto fugisset. Ita enim et structurae et sententiae rationi optime consulitur. Sed utrum illud *ωςτε* s. *ως* ex coniectura addi necesse sit, an cogitatione suppleri possit, nunc est disceptandum. Ac primum quidem satis notum est, *ωςτε* s. *ως* universe ante infinitivos saepe omissum esse, quod sicubi factum videbatur, interpretes notare et illustrare curae habuerunt. Vid. Schaef. ad Lamb. Bos. p. 783 sq.; Elmsl. Eur. Med. ed. Herm. p. 209; Schaef. appar. ad Demosth. IV, 52; Stallbaum. ad Plat. Phaed. p. 70, C; Iacob. ad Tox. p. 115; Krueg. ad Thuc. 4, 125, 1; Krueg. Gram. §. 57, 10, A. 6, 7, 9. Sed si huiusmodi locos examinantes ubi et qua conditione nudo infinitivo scriptores graeci usi sint, quaerimus, plerumque aut pronomen vel adverbium demonstrativum aut aliam notionem antecessisse videmus, cui accuratius explicandae infinitivum inservire appareat. Ad huiusmodi infinitivos, quos epexegeticos appellare consentaneum est, infinitivi consecutivi prope accedunt ii qui, si modo praecesserit pronomen demonstrativum aut similis potestatis vocabulum, ita carere possunt adminiculo part. *ωςτε* s. *ως*, ut e contra pronomen demonstrativum nullo perspicuitatis damno abesse potest, si addita est partic. *ωςτε* s. *ως*. Cuius loquendi usus exempla praebent Herodotus (cf. Passovii lexic. p. 1491, 2); Plato (cf. Stalb. ad Euthyph. p. 38, 70) et Xenophon (cf. Born. Cyr. 2, 2, 8), quos Lucianus ita secutus est, ut Nigrin. 23 eodem modo quo Plato Phaed. p. 71, B dixerit: *Καὶ οὗτοι δὴ ἔχει, μηδὲν ὄφελος εἰναι* ζ. τ. λ. Alia exempla affert Iacob ad Tox. 36. Quodsi loco, de quo quaerimus, *οὗτοις* vel simile quid ante *ὑπερφυής* antecessisset, nudus infinitivus haberet quo intelligi et defendi posset, quamquam particulam *ωςτε* s. *ως* infinitivo additam nemo erit quin praeferat. Verum particulam quam desideramus a Luciano scriptam, sed librariorum culpa obliterratam esse, cum frequens omissio particulae *ως*, tum loci ipsius ratio coarguit. Iam primum quoties vel in optimis libris in describenda particula *ως* peccatum sit, unus Lucianus tot praebet exempla ut, etiam si nullus codex particulam illam, sicubi necessaria est, servarit, credere liceat, eosdem librarios, quos alias locis peccasse videmus, uno alterove loco in eodem vitio conspirasse. Atque nostro loco statuere hoc eo magis

licebit, quum ipsius Hermotimi codices in primis hoc vitio laborare videamus. Sic Hermot. 35 extr. ante vv. οὐκ ἀν ποτε ante Reitzium coniunctio in plerisque editionibus de- erat, quam cum lensius inserta particula ὅτι supplendam conieciisset, Reitzius in codici- bus invenit ως, quod ab ipso et omnibus deinceps editoribus in textum receptum et postea novis Iacobitzii subsidiis firmatum est. Simili modo c. 33 init. ante vv. τὸν ἀ- ταγωνιστὴν particula ως, quam nunc omnes editiones habent, a Reitzio primum ex Iun- tina protracta est, quum in reliquis editionibus et in Guelferbytano II. et Wittiano dees- set. Item c. 39 extr. Iacobitzius cum Lehmanno recepit ως ante v. ἔγγυθεν ex uno Pa- risino et Guelferbytano II., quum in vulgata deesset. At c. 77 idem Guelferbytanus II. ante v. ἀπόχοη particulam ως, quae nullo modo abesse potest, omisit. Huc pertinet con- simile exemplum c. 33 extr., ubi iidem codices, quos neglexisse particulam ως modo di- ximus, soli servarunt part. ὅτι ante versum allegatum Homericum, quam iure recepe- runt Iacobitzius et Dindorfius. Ex aliis Luciani scriptis haec pauca nunc satis sunto: Pro merc. cond. c. 3 init. particulam ως, quam ante v. εἰκός Wittianus omisit, Iacobitzius in Guelferbytano II. supra scriptum invenit, quo librariorum more veram scripturam indi- cari, docet Schaeff ad Greg. Cor. p. 857. Cf. Pisc. 20, ubi ως in Gorliensi deest ante v. οἰσθα, Gall. 8, ubi in editione principe ως ante ἀληθῶς desideratur. In Demonakte c. 10 ante v. ἀεὶ in tribus codicibus praestantissimis, Gorliensi, uno Parisino et uno Vindobonensi omissa est particula ως ibi aequa necessaria atque hoc nostro loco, ut in- finitus consecutivus cognoscatur. Atque in eodem libello c. 8, ubi etsi alia ex caussa particula ως ante vv. οὐκ ὁρῶται requiritur, quum simile participium cum particula ως antecesserit, perquam veri simile est, eodem vitio omnes adhuc collatos codices labo- rare, quo modo tres optimae notae libros affectos vidimus. Quare etiam illo loco particulam ως restituendam esse coniicio. Sed ut revertar unde digressus sum, particula ως tam frequenter in singulis codicibus omissa est, ut vel propterea hanc potius quam particulam ωςτε, quippe quae librariorum iniuriae minus obnoxia fuerit, oblitteratam esse cre- dam; quanquam Luciani consuetudo singulari studio in enuntiatis consecutivis particulam ως adhibendi, ut supra demonstravimus, hanc meam sententiam satis confirmat. Huc accedit aliud non multo infirmius argumentum ex ipso loco de quo quaerimus petitum. Vicinitas enim eius- dem vocabuli, quem secundum vitiorum in libris manu scriptis fontem esse constat, facile caussa esse potuit, ut librarius, qui modo particulam ως scripsisset, per oscitantiam negligerer vocem paucis tantum verbis interpositis repetendam. Repetitam autem esse a Luciano tam parvo intervallo eandem particulam diversa significatione accipiendam nemo mira- bitur, qui similium locorum tam Luciani, quam aliorum scriptorum meminerit. Ita satis munita conjectura, qua et Hermotimi locum c. 73 et consimilem Demon. 8 a librariorum vitio liberare studui, ad contrarium vitiorum genus transibo, quo interpretamentum glos- satoris impotente inter Luciani verba instrusum esse mihi visum est.

C A P U T IV.

Lycinus cap. 76 de assequenda felicitate philosophorum eorum, qui iam ad fastigium delati sint, disputans ex Hermotimo petit, ut secum communicaret, si quem iam vidisset, qui summum illud assecutus esset, his verbis: *Tὸ μετὰ ταῦτα δὲ σὺ ἀμεινον εἰδεῖς, εἰ τινὶ ἐντεύχηκας Στωϊκῷ τοιούτῳ καὶ Στωϊκῷ τῷ ἄκρῳ, οἴτι μήτε λυπεῖσθαι, μήδ' ὅφ' ἡδονῆς κατασπᾶσθαι μήτε ὀργίζεσθαι, φθόνου δὲ κρείττονι καὶ πλούτου καταφρονοῦντι καὶ συνόλως εὐδαιμονι, δόποιον χρὴ τὸν κανόνα εἶναι καὶ γνώμονα τοῦ κατὰ τὴν ἀρετὴν βίου.* Quod mihi primum legenti hunc locum accidit, ut dubius haererem in verbis: *καὶ Στωϊκῶν τῷ ἄκρῳ*, idem certo scio cuivis fore ut contingat, qui quid hoc loco ista verba sibi velint, quoive referenda sint, accuratius perquisiverit. Sive enim sensum, sive structuram totius enuntiati spectas, tam contortam et impeditam hoc additamento orationem invenies, ut Lucianum agnoscere non possis. Quo accedit ea codicum scripturae discrepantia, quae interpolatorem paene manifesto coarguat. Ac prima quidem dubitatio oboritur, utrum dativus *τῷ ἄκρῳ* ad nominativum masculini generis, an ad neutrum pertineat. Utriusque enim tam gradus positivus quam superlativus apud Lucianum et in ipso Hermotimo substantive usurpatus occurrit. Vid. Hermot. 5, 7 extr., 76; pro merc. cond. 42; Salt. 7, ubi neutrum, et Hermot. 7 init., 79, ubi masculinum invenies. Potest igitur tam cum Gesnero, quem Wielandius secutus est, verti: *inciderisne unquam in Stoicum talem et summum Stoicorum, quam cum Paulio „Hast du jemals einen solchen Stoiker, der den Gipfel des Stoicismus erschwingen, kennen gelernt, einen solchen Mann also, der u. s. w.* Ut prior illa interpretatio cum vulgata scriptura magis congruit, ita haec ad discrepantem lectionem trium codicum *ἐς Στωϊκὸν τὸ ἄκρον* exhibentium propius accedit. Utra verior sit et tam antecedentibus quam sequentibus verbis convenientior, diiudicari poterit, si quo v. *τοιούτῳ* referendum sit, ante statueris. Quodsi pronomen *τοιούτος* ad proxime progressum enuntiatum trahitur, in quo, etsi de aliis rebus agitur, tamen mentio facta est felicitatis eorum, qui fastigium assecuti sunt (*οἱ ἐς τὸ ἄκροτα τὸν ἐλθόντες*), illud *τοιούτος* nihil aliud significare potest, nisi Stoicum, qui ad fastigium pervenit, cui si additur *καὶ Στωϊκῶν τῷ ἄκρῳ*, sive fastigium, sive summum Stoicum intelligis, aut perversi quid, aut nihil novi appositum esse appetet. Quare v. *τοιούτος* ad antegressa referri non posse, si sequitur *καὶ Στωϊκῶν τῷ ἄκρῳ*, manifestum est. Si vero, quod omnia suadent, v. *τοιούτος* ad sequens enuntiatum trahis, verba interposita in molestiores etiam augustias adducuntur, ut neque eo sensu quo Gesnerus, neque quo Paulius ea accepit, recte intelligentur, atque constructionis tenorem tantopere disturbent, ut vix graeca nedum Luciane haberi possint. Etenim v. *τοιούτος* tam arcte cum relativo *οὗ* coniunctum est, praesertim si sequente infinitivo per attractionem quam vocant cum eodem casu construitur, ut si non quodvis verbum interiectum, at certe novum attributum cum particula *καὶ* coniunctum omnino respuat. Cf. Lamb. Bos. p. 480; Matth. p. 896; Iacobitz ad Luc. Pisc. 20; Fritzsch. quaestt. Luc. p. 119; Bernh. Synt. p. 299; Born. Cy-

rop. 1, 2, 3; Krueg. Gram. 51, 10, A. 6; §. 55, 3, A. 5. Ex omnibus Luciani aliorumque scriptorum huiusmodi locis quotquot comparavi nullus huic nostro similior videtur quam de conscrib. hist. c. 37, ubi initio est *τοιοῦτος τις ὁ μαθητής*, quae verba demum interpositis duobus attributis sequitur *οὗτος*, sed hoc magno discrimine, quod et v. *τοιοῦτος* ad antecedentia pertinet, et attributa inter se tantum particulis *καὶ τε* coniuncta ad verbum *τοιοῦτος* explicandum addita sunt. Aliter se res habet, si attributum vel apposito quaedam sequitur relativum *οὗτος*. Cf. Luc. Prometh. II, 4; Tim. 33; D. D. 4, 4; 6, 5; 20, 13. Sed ne cui in mentem veniat proscribenda partic. *καὶ* et transponendis verbis *Στωϊκῶν τῷ ἄκρῳ* post relativum *οὗτος* locum male affectum sanari posse, magnopere obstat sententiae ratio, si quidem id ipsum, quod talis apposito significaret, ea quae sequuntur sensu non diverso iterum explicarent. Itaque quum verba ista, quocunque vertimus et trahimus, offensioni et impedimento sint, nihil iam restat, nisi ut aut eiiciantur, aut emendentur. Atque hic ducibus libris manu scriptis forsitan verum investigare poterimus. Etenim quod tres codices exhibent ἐς *Στωϊκὸν τὸ ἄκρον*, antiquior scriptura esse videtur, quam primum a doctiori scriba in margine ascriptam addito fortasse ex praegressis ἐλθόντι, posteriores librarios in textum recepisse verisimile est. Quibus verbis omisso praesertim verbo ἐλθόντι quum alii offensi essent ignorantes nimirum quo referrent quove modo explicarent, vv. ἐς *Στωϊκὸν τὸ ἄκρον* mutarunt in vv. *καὶ Στωϊκὸν τῷ ἄκρῳ*. Atque antiquioris illius scriptae adhuc vestigium quoddam remansisse videtur in codice Wittiano, in quo praepositionem ἐς loco *καὶ* cum dativo *τῷ ἄκρῳ* coniunctam invenimus. Attamen si quis quovis pacto, quidquid a Luciano profectum esse potest, servare, quam glossema tam manifestum resecare malit, una littera in v. ἐς mutata lectionis diversitatem conciliare poterit legens: *τοιούτῳ ἐν Στωϊκῶν τῷ ἄκρῳ*, quae verba ad v. *τοιούτῳ* relata nec sensu tolerabili destituta sunt, nec structurae rationi ita adversantur, ut abesse debeant. Sed praeterquam quod molesta et prope otiosa repetitio v. *Στωϊκῶν* offensioni est, ipsum illud ἐν *τῷ ἄκρῳ* ita friget, ut Lucianum, qui nil molitur inepte, dedecere mihi videatur, nec coniecisse me poeniteat, foras eiicienda esse omnia illa verba: *καὶ Στωϊκῶν τῷ ἄκρῳ*.

C A P U T V.

Lycinus cap. 80 init., quo Hermotimum iam in angustias redactum et vix habentem quod opponeret a philosophiae magistris prorsus alienaret, hoc gravi et at finem reservato argumento utitur: *Καὶ μοι δὲς ἐνταῦθα ἥδη ἐρέσθαι σε, εἰ ἐθέλοις ἀν ἔξω τῶν λέγων τὰ ἄλλα ἔστιναι τῷ διδασκάλῳ, οὐτω, μὲν ὅργιλος, οὐτω δὲ μιχρολόγος, οὐτω δὲ φιλόνεικος ὃν καὶ φιλήδονος νὴ Δι', εἰ καὶ μὴ τοῖς πολλοῖς δοκεῖ. τί σιγᾶς, ὡς Ἐρμότιμε; θέλεις, διηγήσομαι ἂν πρώην ἡκουσα ὑπὲρ φιλοσοφίας τινὸς λέγοντος ἀνδρὸς πάνυ γεγηρακότος, φῶ πάμπολλοι τῶν νέων ἐπὶ σοφίᾳ πλησιάζουσιν;*

Sine ullius codicis auctoritate Iacobitzius coniecturam Graevii, qui loco vulgatae lectionis *τισὶ γε* omissis personis Hermotimi ante *τισὶ γε* et Lycini ante vv. *Ω Ἐγμότιμες θέλεις* legendum censuerat: *τί σιγὰς, ὡς Ἐγμότιμες*, in textum recepit, quod antea praeter Solanum nemo ausus erat; atque ipsum praeter Geistium secutus est Dindorius aliam simul ex suo addens emendationem futuro *διηγήσομαι* tam codicibus omnibus quam usu Luciani aliorumque auctorum firmato in coniunctivum mutato *). Quod profecto mirandum esset in Iacobitzio, nisi ut vulgatam desperandam esse crederet, non tam praestantia coniecturae et auctoritate Graevii et Solani, quam Gesneri infelici interpretatione vulgatae scripturae permotus fuisse putandus esset. Etenim Gesnerus, qui coniecturam illam quamvis ingeniosam et a summis viris collaudatam a textu tamen arcendam esse iure statuerat, quod neque ex libro ullo prodisset, et si ut a Luciano profecta in antiquis exemplaribus inventa esset, utpote lectio planissima a nullo librario mutata foret, tali ratione vulgatam tutatus et interpretatus est, ut Lehmanno eam satisfecisse, quam Wielandio bilem movisse magis miremur. Putarat enim deceptus persona *EPM* ante vv. *τισὶ γε* falso ascripta, Hermotimum, quum a Lycino audisset doctorem suum, cui ut contentioso et ebrioso diffidere iam didicerat, omnino vitiosum hominem esse, quantumvis vulgo talis non videretur, modeste et velut immurmurantem dixisse: *τισὶ γε, at quibusdam tamen, mihi in primis, postquam opera tua visum recepi, talis videtur, cuius proinde similis esse equidem nolim.* Non opus erit, ut verbum addam, tale quid neque in Hermotimum neque in Lucianum cadere, atque certum est, nisi melior sensus ex vulgata elici posset, ingeniosum Graevii commentum ultraque manu amplectendum fuisse. Neque multo probabilius sententia exsistit, si cum Reitzio verbis *τισὶ γε* mutato accentu Hermotimum interrogantem facias; quae interrogatio quum ineptior sit quam quidquid per totum dialogum Lucianus Hermotimum ineptum et nugatorium dicentem fecit, in caussa fuisse videtur, cur Graevius locum foede inquinatum coniectura sua restituisse se tam confidenter gloriaretur. Sed ut Graevianum illud ingeniosius et elegantius sit, quam id, quod Lucianum scripsisse libris traditum est, a quavis coniectura nobis abstinendum erit, donec sanum et idoneum sensum habeunt verba, quae libri manu scripti praebent. Atque hunc statim erues, si modo, quod Iacobitzius praeente Solano quamquam alia de caussa fecit, personas *EPM* et *ΑΥΚ* ante et post vv. *τισὶ γε* e vulgata tollas et cum Guelferbytano II. et editione principe, in quibus haec personarum distinctio non invenitur, legas εἰ καὶ μὴ τοῖς πολλοῖς δοκεῖ, *τισὶ γε.* *Ω Ἐγμότιμες θέλεις κ. τ. λ.* Quod etiam si non unus codex bonae notae et editio princeps, quae instar plurium codicum est, locum, qualem nunc dedimus, exhiberet, tamen personarum in dialogis appictarum muta-

*) Quam immerito Dindorius futurum *διηγήσομαι* coniectura sollicitarit, evidenter elucet ex pluribus Luciani locis. Vid. Tim. 37, ibique Iacobitz ed. min.; Diall. Deor. 20, 16; Catapl. 5; Char. 7. et imprimis Navig. 4, ubi quum sit ἡ θέλεις ἐγὼ αὐθις ἐπάνειμι ἐς τὸ πλοῖον; futuri ἐπάνειμι forma non ita emendationi obnoxia est, ut pleraque aliae. Cf. Lob. Phryn. p. 734; Fritzsch. program. Rostochiens. II, p. 9 sq.; Bernh. Synt. p. 397; Krueg. Gr. §. 53, 7, A. 2.

tionem, quam sententiarum ratio flagitat, quivis assensu suo probabit, qui quantas in hoc genere turbas librarii fecerint, experientia doctus meminerit. Restat, ut, quod vix-
dum opus habeo, lectionem a me restitutam ipsam se satis defendantem toti Lycini de-
monstrationi optime convenire neque a verborum significatione quidquam offendit ha-
bere paucis demonstrem. Iam primum particulam γε post vv. εἰ καὶ μή significatione
quidem, saltem usurpatam nihil insoliti habere, in primis docere potest locus Luciani Ty-
ran. 14, νόμιζε, εἰ καὶ μή χρηστὸν ἀποβεβήκει, ἐκ γε τῆς γνώμης αὐτῆς με γέρας —
ἀξιοῦ λαμβάνειν. Eodem modo Demosth. p. Cor. p. 317, 1 dixit εἰ μή καὶ τὸ θλον,
μέρος γέπιβάλλει. Cf. Schaef. appar. II., p. 351 et Schaef. ad Longi Pastor. p. 355;
Plutarch. Peric. c. 24; verum ἀλλὰ sequitur post εἰ καὶ μή apud Lucianum Apolog. 2; de
merc. cond. 19, 34; Tyran. 18; Iup. trag. 28 et Hermot. 82. sequitur ἀλλ' οὖν ἐκείνων γε.
At ne quis otiosa habeat addita verba τιοί γε, quum verbis τοῖς πολλοῖς significantur
plerique i. e. permulti, sed non omnes, ita ut quidam excipiantur, hoc praecipue loco
multum ad convincendum Hermotimum valuit, ut ei Lycinus in mentem revocaret, Sto-
corum vitia, quamvis enixe occultarentur, quosdam tamen non fugere. Ad hoc enim
iam ab initio dialogi argumentationem direxerat Lycinus, ut vitam Stoicorum, quibus
propter ipsam virtutis et gravitatis landem Hermotimus addictus erat (vid. Hermot. 16,
18; cf. 29, 75), quamvis coram discipulis et in publico morum integritatem et severita-
tem ostentarent, variis iisque gravissimis vitiis inquinatam esse demonstraret. Cf. vit.
auct. c. 20—26. et Dial. Mort. 10, 8, ubi Mercurius de Stoico philosopho dicit: οὐ λέ-
ληθε γάρ με, εἰ καὶ μάλα περιχώπτεις αἴτια. Quod quum Lycinus nec sibi nec aliis
quibusdam occultum mansisse communicatis de crapula, rixa, foeneratione ipsius Hermo-
timi doctoris narratiunculis (vid. c. 9, 11) satis liquido docuisset, hoc nostro loco eodem
consilio subiicit narrationem de sordibus et iracundia alterius philosophi senioris, ex
cuius sermone cum avunculo iunioris discipuli philosophia parum emendati habito simul
finem et fructum philosophiae cognoscimus. Quem ubi Lycinus ipse ita definivit, ut satis
esse propterea philosophari diceret, ne quid peius faceremus, neque alia spe nos philo-
sophari, nisi ut idiotis i. e. rudibus et in cultis decentiores circumiremus, tota demonstra-
tio subsistit in interrogatione ad locum de quo quaerimus respicienti: τί οὖν οὐκ ἀπο-
ρούντι καὶ τοῦτο; ad quam Hermotimus prorsus profligatus nihil aliud se habere dicit quod
respondeat, quam non multum abesse, quin illacrimet. Ex his quae attuli apparere ar-
bitror, verba τιοί γε non solum non otiosam explicationem continere, sed magis ad rem,
de qua agitur, pertinere, quam laudatam illam conjecturam, quam, si mihi optio detur,
codicum scripturae vel propterea non preferam, quia ex meo quidem sensu ista inter-
rogatione (τί σιγᾶς;) Hermotimus vehementius urgetur, quam huic loco conveniat, ubi Ly-
cinus illum iam fractum afflictumque mitius tractare coepit (vid. 80. init. καὶ δός μοι ἐρέ-
σθαι σε). Longe alia est conditio Hermotimi cap. 55, ubi in illum praefracte se defendit
et responsionem ex postulatam retractantem Lycinus eadem formula (τί σιγᾶς) in-
vectus erat. Quare etiam verbis illis, quibus Hermotimus ad respondendum incitatur,
cap. 55 οὐτοις καὶ μοι τὸδε ἀποκρινατ, ante vehementiorem illam exhortationem iam usus

erat, quae eadem hoc nostro loco demum in fine totius sermonis cap. 83 occurrunt. His rationibus satis firmata conjectura mea adhuc mihi defendendum restat, quod in constituendo nostro loco, ab interpunctione eorum librorum discessi, quorum ope veram lectionem revocasse mihi visus sum. In his enim verba ὁ Ἐρμότιμος cum ταῖς γέ coniuncta ad antecedens enuntiatum interrogativum pertinent, quod idem factum in editionibus recentissimis, in quibus Graevii conjectura recepta est, consentaneum fuit. Omnes ceteri libri quidem et editiones vocativum interiecta minori interpunctione ad sequens v. θέλεις trahunt; sed nihil inde colligere licet, quum nimirum praefixa personarum nomina ita scribere cogent, nisi ita ante scriptum fuisse statuimus, quam librarius sciolus illas personas appixerit. Quod ut credam, valde inclinat animus. Sed alia gravior ratio me adduxit, ut vocativum ad sequens enuntiatum traherem. Compellatio enim illa sicut in fine longioris enuntiati non solum ingrata et languida, sed etiam tam insolita est, ut in Hermotimo saltem nullum simile exemplum inveniri praestare possim, ita initio enuntiati eius praesertim, quo ad rem novam eamque mirabilem deflectit oratio, tam ad sensum accommodata quam communi consuetudine recepta est.

C A P U T VI.

Unum adhuc locum per fines huic libello praescriptos tractare licebit, quem eodem fere remedio, quo modo usus sum, a vinculis, quibus propter vitiosam interpunctionem et interpretationem tenetur, liberare conabor.

Initio cap. 17 Hermotimo Stoicis prae ceteris ideo applicasse se affirmanti, quod non solum plerosque ad illos ferri vidisset, sed et ab omnibus illorum philosophiam et vitam praedicari audisset, subiicit Lycinus: ΑΥΚ. Ἐλεγον δὲ τὰντα πρὸς σὲ ἄλλοι δηλαδὴ περὶ αὐτῶν· οὐ γάρ δὴ ἔχεινοις ἀν αὐτοῖς ἐπίστενσας ἐπαινοῦσι τὰ αὐτῶν. ΕΡΜ. Οὐδαμῶς, ἀλλ’ οἱ ἄλλοι ἐλεγον. ΑΥΚ. Οἱ μὲν δὴ ἀντίδοξοι οὐκ ἐλεγον, ὡς το εἰνός. [οὗτοι δὲ ἡσαν οἱ τὰ ἄλλα φιλοσοφοῦντες.] ΕΡΜ. Οὐ γάρ. ΑΥΚ. Οἱ δ’ αὖτας ιδιώται ταῦτα ἐλεγον. ΕΡΜ. Καὶ μάλα. Verba quae uncinata vides etsi in omnibus libris et manuscriptis et impressis legebantur, a Solano primum pro spuriis habita inde a Reitzio per omnes deinceps editiones supposititorum more migrarunt, donec a Dindorfio ceteris audaciiori tandem foras sunt electa. Nec mirum. Tam fallacem interpretamenti speciem prae se ferunt, ut si quis cum Gesnero interpretatur: *hi vero erant, qui aliter, scil. quam Stoici, philosophantur*, ea non possit non habere otiosam explicationem verbi ἀντίδοξοι, qualis Lucianum non decet, tam inerter praesertim et insulse alligata. Sed levi tantum mutatione interpunctionis et recta explicatione singulorum verborum opus est, ut haec verba non solum non otiosa, sed etiam ad dialogi continuitatem necessaria esse appareat. Cardo rei vertitur in interpretatione verborum οἱ τὰ ἄλλα φιλοσοφοῦντες, quae non idem quod ἀντίδοξοι, sed potius oppositum significare mihi videntur. Ut enim

sub verbo ἀντίδοξοι, qui iidem c. 33 ἀντίδικοι vocantur, in primis philosophiae doctores iisque, qui Stoicos impugnare et calumniari solebant, intelligendi sunt, a quibus nimirum (ὧς τὸ εἰκός) commendatio Stoicorum philosophiae longissime aberat; ita verbis οἱ τὰ ἄλλα φιλοσοφοῦντες totum illud genus litteratorum hominum continetur, qui universe philosophiae operam navabant et tam corporis habitu quam animi cultu ultra rudem multitudinem (συνφρετὸν τῶν ἴδιωτῶν, cf. 1, 83.) extollebantur. Nam οἱ φιλοσοφοῦντες non sunt ipsi philosophi sive sapientes, qui habentur et dicuntur, sed inter hos et ineruditos medium quoddam genus constituunt eodem fere modo, quo apud Platonem Conviv. p. 320, E; p. 204, A, οἱ φιλοσοφοῦντες inter σοφοὺς et ἀμαθεῖς interponuntur; ex quo loco fluxisse videtur Lucian. fugit. 4, ubi vulgus inter et philosophos interiecti sunt ii, qui philosophiae nomine, habitu, incessu ad vitam impurissimam abutuntur. Accuratus etiam hoc philosophantium genus describitur de merc. cond. 4, ubi primum illis numerantur omnes, qui serium et grave vitae genus amplexi sunt, tum autem sequuntur grammatici, rhetores, musici, qui doctrinae caussa (ἐπὶ παιδείᾳ) divitum familiares esse volunt. Quibus universis opponuntur exercitores (γυμνασταί), adulatores, idiotae (ἴδιωται καὶ μικροὶ τὰς γνώμας καὶ τάπεινοι αὐτόθεν ἀνθρώποι.) Cf. bis accus. 8; Piscat. 6. Neque sensu alio aliis locis verbo φιλοσοφεῖν Lucianum usum esse, confirmatur Hermot. 15, 21, 45 Demon. 13; all.; atque etiam cum accusativo et quidem φιλοσοφίαν exstat. l. l. Hermot. 45, quo etiam Xenophon. Mem. 4, 2, 23 etsi diverso sensu usus est. Potest igitur accusativus τὰ ἄλλα tam ad similitudinem accusativi φιλοσοφίαν explicari et ad aliorum philosophorum placita referri (cf. Krueg. ad Thuc. 1, 65, 2 et Gram. §. 46, 5, A. 4.) quam sensu adverbiali significatione ceterum, omnino accipi. Quod alterum ut praferendum ducam, et usu frequentiori et huic loco aptiori adducor. Vid. Luc. Diall. Deor. 20, 3; Prom. I, 2, Diall. D. Mar. 1, 3; Philopseud. 11; Tox. 50, ibique Iacob.; cf. Plat. epist. XIII, 360, E. Quodsi verba οἱ τὰ ἄλλα φιλοσοφοῦντες per se spectata ex Luciani usu recte interpretatus esse mihi videor, quid hoc loco sibi velint restat ut explicem. Atque primum hoc sententiarum nexus et colloquii continuitas postulare mihi videtur, ut mutata interpunctione verbis οὐτοι δὲ ἡσαν οἱ τὰ ἄλλα φιλοσοφοῦντες Lycinum interrogantem faciamus, qui postquam affirmavit de Stoicorum adversariis et calumniatoribus cogitari quidem minime posse, ex Hermotimo quaerit: num vero hi, qui Stoicos tibi commendarunt (οὐτοι ι. e. οἱ ταῦτα λέγοντες) fuerunt tales, qui omnino philosophantur i. e. philosophiae operam dant? Quod ipsum quum Hermotimus negasset, forsitan ne novis laqueis irretiretur verens, Lycinus ad hanc conclusionem prope necessario pervenit: ergo idiotae fuerunt. Quo sensu autem verbum ἴδιωτης hoc loco sit accipendum, quum, ubi alia opponuntur, aliam significationem habeat, iam ex hoc nostro dialogo discas, in quo ubivis idem est quod ἀπαίδευτος s. ἀμαθής. Vid. Herm. 1, 67, 81, al. cf. de Dom. 2; Fugit. 4, ubi ἴδιωται et φιλόσοφοι opponuntur; Pisc. 34; de merc. cond. 4; Char. 4 ibique Iacobitz. ed. min. Sed et ipse locus, quem tractamus, nullam aliam explicationem permittit; nam Lycino tam mirus videtur Hermotimus affirmans idiotas fuisse illos, qui de philosophia et philosophis ipsi consuluisserent, ut propterea ab

Hermotimo ludibrio se haberi iis, quae mox subiicit, queratur. Hac igitur explicatione non solum servantur, quae antiquitus constanter tradita sunt, sed et Luciano vindicantur, quae si non addidisset, desideraremus, quum ἀντίδοξοι et ἀδιάτρετοι non ita sibi opposita sint, ut is qui neque Stoicus neque Stoicorum adversarius (*ἀντίδοξος*) sit, statim *ἰδιώτης* esse debeat. Si vero οἱ φιλοσοφοῦντες interponuntur, legitima fit conclusio neque in colloquii tenore quidquam desideratur. Nec minus a grammatica ratione omnia bene se habent. Nam quominus particula δέ post v. οὐτοι respondeat particulae μέν in praegresso enuntiato, nihil impedit enuntiatorum forma variata et sententiae accommodata. Neque verba οὐτοι δέ initio enuntiati interrogativi posita, quo vis eorum augeatur, quidquam offensionis habent. Denique quod interpunctionem a me mutatam attinet, etsi necessitate urgente in arbitrio interpretis posita est, tamen mihi temperare non possum, quin ad calcem rem levioris momenti adiiciam, quo signum illud interrogationis aliquid praesidii ex libro manu scripto nancisci videatur. Quum enim codex Guelferbytanus II. post Hermotimi responsionem mox insequentem (*οὐ γάρ*), ubi nullo modo ferri potest, signum interrogationis habeat, non incredibile videtur, eodem errore oscitantis librarii illud signum in alienum neque longe distante locum transpositum esse, quo saepissime verba et locutiones sede sua motas esse inter omnes constat.

C O R R I G E N D A.

P. 5. l. 3 pro τὰ lege τὰς. — p. 6. l. 21 pro altero v. ἔτεσον lege ἔτεσαν. — p. 6. l. 2 infra corrig.: *suppleri*. — p. 8. l. 15 dele v. anno. — p. 13. l. 19 corrig.: *Theodos.* — p. 13. l. 22 corrig.: *Eustathio.* — p. 14. l. 18 pro nos lege *huc*.